CVRSVS OLYMPICVS

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS,

DOMINI DOMINI

CASIMIRI FLORIANI

CZARTORYSKI

DVCIS IN KLEVAN

EPISCOPI POSNANIENSIS.

per vestigia

Generis, Virtutis, Scientiæ, Honoris,

collectus,

Eidemq; ILLVSTRISSIMO ac REVERENDISSIMO PRINCIPI, Limina Principum Apostolorum Cathedræ Posnaniensis adeunti,

A

Collegio Posnaniensi SOCIETATIS IESV, promptissimè adornatus, & oblatus.

Anno CVRRENTIS seculi post M DC. LI.

POSNANIÆ,

In Officina Typographica ALBERTI REGVLI.



AD ILLVSTRISSIMVM
ET REVERENDISSIMVM PRINCIPEM
DOMINVM DOMINVM
CASIMIRVM FLORIANVM
CZARTORISKI
DVCEM IN KLEVAN
EPISCOPVM POSNANIENSEM,
PRÆFATIO.

NEMO uno passu stadium Immortalitatis excurrit. ante primum lapidem, mouendus Omnis lapis; in uno milliari mille studia. Sed nulli magis fatigantur, quàm qui ad otium currunt; si virtus in meta est, illecebram viæ, facit terminus, quò altior, semitam præbet magis decliuem: ipsa contentio animi, difficultatem temperat, nec attenditur passus in arena, sed gradus ad palmam. Facillimum verò, virtutem in meta ponere, cùm in animo est. Quòd pauci constãter currunt, inopia bonorũ facit, quia omnes boni volunt esse, omnes cursum incipiũt. Etiam hîc pessima diuersoria maximè fatigãt peregrinos: quod si cõmodè aliquãdo hospitari cõtingat, maius periculũ est, in illecebra manẽdi. Comites habere, Natura cursus istius est; non tã præsidio vitæ contra latrones, quàm solatio viæ contra tædium. Cùm multi in stadio currunt, vnus, victoriosissimo Athleta Paulo teste, accipit Brauium; quod-si vnus, nullus. hunc sua lentitudo corrumpit, illis aliorum celeritas calcar erit. Starené dicam alios in motu pœnè raptûs? magis mihi videntur retrò ire! præcipitia tot suadent multis oculos defuisse, & frontem: illi quò vel quá eant, palpant, hos ire non pudet. Multi cùm littus tantùm legere deberent, Pelago se committunt; sua pati malunt pericula, quàm alienorum misereri, sæpè sine gubernaculo, sine arte, sine Maris & tempestatum experimento, sæpè sine sale salum ingrediuntur, nec habent in penu Condimentum, contra fluctuum amaritudinem: & licèt multum Ceræ in atrijs habeant, nesciunt aures contra Sirenum dulces laqueos munire: tamen remis & velis inuehuntur. sæpè Fortunatas Insulas, sæpè auream Chersonesum prætervecti, onerant gemmis & auro Naues; ditiores non meliores facti, pessimá licitatione, per commutationem, bonos mores pro nequam merce, an mercede? dederunt! Illa nimirum, quæ scandit æratas vitiosa naues cura,

ra,

ra, rimas facit in sentina, serò incipit pœnitere superasse tot Bonæ spei promontoria, si vel in vnum Malæ spei, cùm redeunt è vita, impingant: quando ne guttam quidem virtutis. post Oceanum curarum deprehendunt. Erroribus suis multi se felices putant, diuerticula quærunt, & cùm à via recta aberrauerint, vitiosum circulum efficiunt; compendio ire, ea demum felicitas est. Quid seria mortalium temeritas non audet! contemnere se mortem putant, in Naui à qua vix palmum absunt: & cùm in maris marmore venas sanguinis vident, filum Ariadnæ in labyrintho putant. Verè solum hoc, quod calcamus, salum est: nauigamus dum viuimus: tot naufragia docent, non esse nos in continenti. quidam adhuc poma fugacia captat, & inter medias sitiunt aquas; studia hominum faciunt Euripos, & quasi adhuc profundum mare non sit, affundunt sudores. Scio velocissimis equis frena inijci, calcaria negari. Naues etsi tot alas, quot vela habent, in summa ventorum copia, Cursûs penuriâ laborant, sagittæ nisi ociùs eant, extra metam (intra dicere debebam) cadunt. Lentene an citò eundum: feliciores ingenij conclusio, apud me problema est. Alto ruentes riui, sua origine se trudunt, suo fonte felices, nubibus abundantiam & pluuijs non debent. perenni vitro fluunt, & sol priùs cœlo, quàm sibi sua crystallus eripitur. Si quis in Te ILLVSTRISSIME *&* REVERENDISSIME PRINCEPS *celeritatem miratur, attendat vnde excurreris. miraculo par, sine æmulo currentem, tam citò, non ire, sed volare. Ita gentilitio Equite vtebaris, vt neq; arma fecerint de leuitate Cursus suspectum, neque iste Eques ad pugnam non ad fugam paratus. Facilè permisisti multos ante Te assurgere, quos Tibi pares optabas. multi tum accipiunt præmia, cùm necdum sperare deberent: tum mereri incipiũt, cùm præmia acceperint. Tu* ILLVSTRISSIME *&* REVERENDISSIME PRINCEPS *cùm tot Prærogatiuas, Sanguinis, Virtutis, Scientiæ, Honoris, Domi Tuæ haberes, videris Honorem fecisse nouo isti Honori, cùm admisisti, ne quid peccasse fastu videreris. Sanguinem Regium à throno ad sellam Senatoris deduxisti. Nemo inuidere poterit, nisi parem se, per omnia summo, fateatur. Descendere* ILLVSTRISSIME PRINCEPS *videris ex altissima Familiæ Regiæ maiestate, & in hoc Equo armato Equitem è Principe facere, accipere Nobilitati communia. Agnoscit Posnania Humanissimum & Modestissimum Principem, aperit portas, fortissimum cum Tuo Equite præsidium* TVRRIBVS *suis exceptura. descendenti ex Equo Lembum Petri submittit, dat* PORTARVM *simul & animorum* CLAVES; *vt intelligas nihil Tibi clausum, omnia aperta. Fateri cogitur, & liberè, & si modestè coram Te omnium modestissimo dicere: multum & Tibi ex hac maioris Poloniæ Metropoli accessisse. nostra sunt, quòd è Maioribus Polonis Tuâ Maiestate Maximos feceris: Tua, quod ex hac Apostolorum Principum Cathedra, ex his Liminibus Apostolorum,*

Pon-

Pontifex Maximus Poloniæ promittaris, Toti Orbi ad suffragium proponaris. Nolim Te amplius morari ad Limina, vt descendas, gradum è collo meo faciam: Cursus Olympicus est quem ingrederis; vestigia relinquenda, Pontificibus Posteris, Toti Poloniæ. Antequam Te comitari incipio, quæso excitatum in via excute puluerem: dari Te optabamus, non concedi. Difficilem sentio Prouinciam comitandi; Totâ Europâ, Totâ Italiâ video vestigia adoranda à longè; vix legenda. Longa est vbique post Te *via: tantùm oculis & votis assequar. Vtinam! cùm, vt cœpisti in Cursu Olympico excurres, festinus ad Olympum eas, tardè venias: Tu facies, vt citò merearis Cœlum; nos, vt serò accipias.*

Tuæ Celsitudini

Deditissimum Collegium Posn.

Societatis IESV.

STIMVLVS CVRSVS OLYMPICI.

QVEM non futuri temporis æmulum
Momordit ætas? Nemo satìs diu
Præsente vixit: nemo felix
Præterito satìs, in futuros
Fecunda famæ diuitis horrea
Aceruat annos. Posteritas Patrem
Ventura Natorum, Nepotum
Iussit Auos studuisse famæ.
Vtcunq; cæsis lustra licentiùs
Grassentur annis; fama superstitum
Aeterna factorum, nocenti
Eripuit decus omne lustro.
Frustra ruentem præcipiti diem
Phœbus quadrigâ, fortiùs impulit;
Rotisq; perniciq; frustra
Luna parat properare cælo.
Longæua cursu certat Olympico
Cum non tenendo Gloria tempore;
Vtriq; par passus: relinquit
Neuter iners retrò cursor annos:
Quamuìs auaro Casus edax voret
Humana rictu: fercula summouet
Intemperantis Heluonis
Ore procul, procul vna mensis.
Iacet supinis Græcia mœnibus;
Sed fama surgit. Cecropiæ Domus
Fleuêre Glaucas auolâsse;
Nomen adhuc superesse gaudent.
Auriga virtus frenat euntium
Passus dierum, vela fluentibus
Ademit horis, Noctis atras
Præcipitis religauit alas;

Annosq;

Annosq; tardis mensibus explicat.
Obnixa velox non rapit impetus;
Volant arenæ, lenta molles
Aura vehit per inane plumas.
Nondum seueris iura Quiritibus,
Aut aequiori lex Lacedæmoni
Erepta cessit; his Magistris
Discipulus studet orbis, æquos
Seruare mores. Aemathius dedit
Exempla belli: Cæsar adhuc legit
Præcepta: Pœnorumq; fraudes
Arte Fabi meliore vincis.
Quisquis futuri temporis arbiter,
Post fata longus viuere gestiet:
Auro refundet se hic, refinget
E solidoq; adamante mores.
Quæret frequenti tramite gloriam,
Ducet frequenti fertilis ingeni
Minerua sudet, quâ efficaci
Stet medio, inueniendа virtus.
Tu fastuosus duxeris obuium
Quodcunq;, spernes. serpere rusticum
Permitte vulgus, te per orbem
Non solito iuuet ire passu.
Non vsitatis iuit honoribus
Quicunq; magnus. sustulit æmulos
Bellator Alcides; Tyrannis
Et stygiæ metuendus vndæ.
Vnum, sequentis materiam facit,
Pugnæ triumphum. Semper erit sui
Auara virtus, nec capacem
Vna volet satiare mentem.
Quæ rara magno de Patre gloria
Defluxit, alto sanguine filijs;
Et signa, pendentesq; Ceræ,
Præteritæ documenta famæ;
Erunt futuris æqua Nepotibus,
Ad exprobrandum, degeneres Patrum
Regnare mores: Nate felix,
Qui poteris reparare pulchro

Antiqua Patrum Stemmata, de Tuo!
Sua beatum viuere de penu.
Non nostra, quæ non sunt; pigriq;
Mella bibunt aliena fuci.
Nunc arma dextrâ sumere, nunc equo
Versare campum: nunc in Olympico
Heroa circo, peruicaci
Cursu, alios superare cursus.
Iam nunc seuerum, consilio graui
Pacis morari te iuuet otium:
Et nunc amicorum querelas,
Nunc hilares adhibere mensas.
Hæc facta Maiorum hora loqui sciat,
Exempla, leges: hæc alio celer
Pererret orbe, quà sequendo
Gens faciles colit alta mores.
Quanta occupato præmia pectori,
Nescire pigro crimen in otio!
Sed damna compensare vitæ,
Et refugos reparare menses!
Illum curuli gloria debitis
Imponet astris; iam popularium
Infra tumultus cernit, & iam
Præter humum volat altus imam.
Omnis recuruo vertice sternitur
Pangæa quercus: palmaq; pronior
Insueta frangi, lunat altum
Flexa caput; facilisq; laurus
Acuminatis brachia spiculis
Insternit acclinis. iuga montium,
Cyrrhæq; Parnassiq; nutat
Cecropij petra mota Pindi.
Effusa gratum prospicit hospitem
Cœli patentis Curia; nubibus
Exceptus occlusis, suprema
Tum volucris, stetit arce, cursus.
Nec sic reclusis hospes inutilis
Hærebis astris: nunc Tua Tu: Tua,
Deinde per choros, amici
Gesta palàm sonuêre Cœli.

CVR.

CVRSVS
OLYMPICVS
ILLVSTRISSIMI
ET REVERENDISSIMI PRINCIPIS
DOMINI DOMINI,
CASIMIRI FLORIANI
CZARTORYSKI
DVCIS IN KLEVAN
EPISCOPI POSNANIENSIS.

FEstinare demum ex alto debebas PRINCEPS ILLVSTRISSIME, vbi tam diu hæsisti: violentiam faciebas meritis, dum morâ etiam merebaris. ipse Honor vindicare se debuit ab iniuria, cùm Tu descendere modestè timebas, ille audax ascendit, tardus omnino; sic solent in altum nitentes. Annuebat vt descenderes, illâ ipsâ quam Antecessori Tvo mitram mors deposuit; dissimulabas: non vt impensiùs rogareris, sed si quis dignior esset vertex indueret diadema, cui sanctissimum & sapientissimum caput debebatur. Molestissima erat Honori, vel mora Tua, vel modestia: cogebatur, raro exemplo, in campum Ambitûs descendere, & inter Cãdidatos esse, qui Cãdidatos faciebat. Iam Te occultis cuniculis, rumore scilicet defuncti, sacerdotio Illustri, Senatoria dignitate pertentabat: Tu malebas dignus haberi, quàm vti. Quid faceret? vt audacissimus est, vsque ad Maiestatem Regii Sanguinis, ad Principum Celsitudinem ascendit. Locus non erat fugæ in illo fastigio; excusationi, in tanta modestia. facilè dedisti hospitium Honori, vbi in Te priùs merita diuersabantur. Pauci in cursu attendunt vnde exierint. Multis meta sine termino. satis est vnicuique stadium excurrere, assequi præmia. Loci quò primùm pedem mouerant, sæpè non meminerunt, quin ipsa obliuio in pretio est, ne si ex alto, quò peruenerunt, respiciant ad initium Cursûs, etsi non poeniteat, pudeat tamen fortunæ.

ita libentiùs in fortunæ hoſpitio diuerſantur peregrini, quàm domi ſuæ. Sæpè Amicorum, & Cognationis pudet: vbi fortuna mater eſt, nulli fratres. Maximè natura læditur ab his, quibus felicitatis plurimum eſt. Miſeri tot fratres habent, quot mendicos; tot parentes, quot diuites. Si qui reſpectant interdum, & veſtigia retrò legunt oculis, tantò feſtinant celeriùs, donec etiam è memoria abeat in curſu præcipiti, ſtatus primæuus. Thronus Regius eſt, vnde motus Olympici curſus Tui; parum dixi, Regum maieſtas. Maximè fatigare ſolent Plinios, Natales & Cunæ: non omnes Traiani ſunt; multi fundamenta familiæ ſimul cum virtute poſuerunt in ſe ipſis, parui ſine maioribus. Supplēda eſt natura Arte, & non ſanguine, ſed atramento ducenda gentis linea. Prima hæc eſt laudibus Tuis venia, non factas eſſe, ſed natas; non adſcitas, & peregrinas, ſed proprias, & domeſticas; non atramenti aut ſcholæ, ſed familiæ & ſanguinis. Fatigantur ingenia cùm è ſuis viſceribus panegyricos contexunt, & cùm ſe tota in aſſentationem effuderint, tela eſt aranearum, quod fecerunt: leuiora muſcis iudicia capiuntur, ſi quis eſt melioris mineruæ, laqueum perrumpit, vel declinat. Quidquid è vena Oratoris vel Pöëtæ effluxerit, nigrum eſt; Nobilitatis purpura è vena Maiorum. Fruſtra in eo ingenia ſudant, cui manus in exercenda virtute frixerunt. ſi quid acutè, ſi quid ſublimiter dictum eſt, gratiam habet Oratio, probrum vita: ingratusque labor, quem mores arguunt. Pennæ, quas manibus tractamus, nimis leues; ne vagentur, frenum & pondus habent à materia. niſi argumento authoritas adſit, leuiores ſunt in manu, quàm in anſere; in charta, quàm in aëre. Nihil eſt quod magis deplumet calamos, quàm nuda veritas: facilè peccari poteſt, faciliùs deprehendi error, cùm agenda ſcribuntur non acta: & panegyris non laudibus conſtat, ſed præceptis; adhortatio eſt, non encomium. Multi interim de ſua fama bene agi putant, quòd in optima ingenia inciderint: multi egregiè ſe ſcripſiſſe, cùm non verè. his Oratio contra conſcientiam, illis fama contra vitam. At nulli magis vituperant, quàm qui indignis blandiuntur. Quàm longè futurus ſim à ſuſpicione malæ fidei, euidentiam facis, dum in Regia Sanguinis maieſtate videris: veras laudes modeſtiſſimè admittis, falſis nulla venia eſſet apud ſeueriſſimum morum cenſorem. Non vereor, ne quid alienum dicam, ſolùm ne Tua non omnia. ne quid ſilentio tranſeam potiùs, quàm inuoluam. Quid dicam, ipſâ taciturnitate ſuggeris; vbi dicere deſinam, credo nunquam dicere poteris; quia nec quæ acta à TE ſunt, actum agere poſſunt: & TV ita in Curſu Olympico conſuetudine eundi profeciſti, vt non ire, perire Tibi ſit. Maxima gloria bene ac innocenter viuere, ſed prima bene naſci. etiam

qui

qui pessimè viuunt, non malè secum agi putant, si in Maioribus optimos habent. quantum beneficium à natiuitate sit, discimus vel ex eo, quòd non bruta sed homines nati sumus. Nullam in Cunis, nullam in splendore familiæ, in claritudine generis, agnoscere gratiam, ingratissimi omnium est, ne dicam indigni. Quotquot rerum gestarum claritudine insignes erant, Familiæ insignia inprimis habuerunt: si virorum Illustrium liberi non fuerunt, famæ erant mancipia. ita plus de origine certatum; quàm de cursu. Dij ipsi ad societatem, & suspicionem scelerum humanorum trahebantur, vt diuinitatem concederent! tanti erat Deorum fuisse liberos, vt illos adulteros esse oportuerit; tantillum famæ, summâ cæli iniuriâ constabat! falsa laus, veris criminibus! Parum erat Cæsari Augusto in Ephemerides, lustro vniuersi, etiam vniuersitatis centrum DEVM, HOMINEM descripsisse: vna virgo, cuius filius putabatur, augustior erat ad immortalitatem, orbis angustior. Scio Generis superbam esse iactationem: Florem optimi Sanguinis corrumpit, quisquis laudes suas otiosè aspergit. sed omnia bona malo vsu deprauantur. deme fastum, quæ illustrior purpura verecundo sanguine? quæ par sublimitas, inclinatæ magnitudini? Omnia flumina è fonte commendationem habent, à riuis magnitudinem: & virtus auium, à nido est. nec illa dulcedinem peregrino acore, aut vitrum alieno limo perturbant; hæ vbi natæ sunt, omnia præsidia vitæ accipiunt, vsum alibi. Quoties Parentum Filijs, nepotibus Maiorum exprobrari mores audimus, non accusatur genus, sed vita: nam nulla grauior iniuria, quàm seruilis animus, in ingenuo. Cæteri si quid in vita delinquunt, culpa illorum intra famam est; qui ex alto descendunt, si labi contingat, non est casus, sed præcipitium: lapsus in his qui humi serpunt. obuium est contra illustres familias inuidiæ telum; aliena laudari, non sua; vnà cum ætate exoleuisse famæ odorem; præterita præsentibus malè miscerj. Nemo ita locutus est, nisi homo nouus, aut obscurus: à sua conscientia bene vapulauit. quòd Fabius esse, cùm desideret, non possit, vituperat Curios, à quibus in familiam admitti non meretur. Omnis ædificii firmitas à fundamēto; tectū, parietes, testudines, tabulata, fundamenti solidū sua strage non lædūt: quidquid elegātiæ intus, venustatis foris in aula est, in hoc hæret. quod si vitium est in fundo, summa nutāt. Simillima est illustrium familiarum ratio. qui è summis maioribus descendunt, etiamsi quis casus interuenerit, facilè est inuenire latebram, in maiorū vmbris: in summa imaginum luce, parum luminis posteris mutuare. Qui domi suæ recentes splendores multos, nullam fumosam imaginem habent; hospitem & peregrinam virtutem susceperunt. Materfamilias est, vbi diu mo-

 rari

rari licuit. si quid aspergitur turpitudine vitæ à Minoribus, suo sanguine delent Maiores; & veniabilis error est, quem exempla Maiorum accusant simul & emendant. tanquam in limpidissimo fonte apparent vitia in imaginibus; quot Ceræ, tot specula; tot domestici censores, quot Maiores. difficile est non proficere sub ferula senectutis: malim atria, quàm scholas. hic classes librorum sunt, ibi virtutum: hic atramento, ibi sanguine scribitur, quod discatur. Multi supellectilem Maiorum, otiosam esse dixerunt; homines sine imagine, ignari non esse ibi virtutem viuam, vbi mortua pretium non habet. Verè nemo magnus sine Maioribus. vt anni qui præterierunt, faciunt senectutem venerabilem; sic familiam Aui ornant: quos si quis irreligiosiùs tractauerit, annis quos sæpè numerat, indignus mihi semper videtur. sola æstimatio virtutis, virtus est. & omnis inglorius iacet, quisquis in atrio nihil appendit. Multi ad insaniam vsque fatigantur, & in fingẽdis Ceris diffluunt; nullum frequentius furtum; & licèt honestatem quamdam præseferre videtur. nullum turpius. illi Maiores fingunt, amicitias, affinitates, mentiuntur. his pro dote nihil nisi claritudo generis est aut forma, nec inter bona parapherna quidquam reperias, præter Ceras. ita hereditas nulla melior esse potest, quàm Virtus, & claritudo parentum. Domi TVÆ ILLVSTRISSIME PRINCEPS quidquid Europa Magnorum Principum habet, educatum est. Fecunda Imperatorum Regumq; Austria, postquam rursus cum Sarmatica, suam cõiugauit Aquilam in SIGISMVNDO III. Felicissimo Polonorum Rege, Equite Tuo armato velociùs quàm Pegaso Totam Europam peruasisti. Nuperrimè in VLADISLAO IV. Fortissimo, ad Duces Niuernenses cognatione deflexisti. Neoburgici, Palatini Rheni, Bauariæ Principes communionem Sanguinis quamcunqúe cum Iagellonibus habent, etiam sine Te Reges aut Principes esse non possunt. nihil noui dixi nisi ignorantibus, Illustrissimum Genitorem Tuum à Regibus nostris clementissimis non alienum appellari. Multum Vos in tam honorifico Poloniæ Regum de Vobis testimonio humanitatis agnoscitis, nos in Vobis summum Regiæ maiestatis. Virtus est in illis ita loqui, in Vobis necessitas audire; non potest esse suspecta authoritas omni exceptione maiorum testium; sola veritas eiusmodi confessionem extorquet, nihil gratiæ, nihil meritis datur. vt sol minora lumina, maximè cùm lucet, exstinguit, ita Regum maiestas serena, exstinguat potiùs minores ignes, quàm accendat. Credo venire Serenissimis Regibus nostris in mentem Iagellonis & Vitoldi; quoties Vos intuentur, videre se putant in suo fonte, & cùm apud Vos sunt, in nido suo esse. Non est ILLVSTRISSIME PRINCEPS facilè Regio Sanguine censeri. amicitia promptior

est

est, quàm cognatio. beneficia Reges sua vendunt, cùm fidos amicos, Comites appellant; quoties Fratres, Consanguineos, maioris Domini, Dei scilicet, beneficium recognoscunt. Nemo hactenus amici nomine apud Reges vapulauit, optantur quàm plurimi; & quia non nascuntur, parantur beneficijs; cognati facilè ipso sanguine odium merentur, peccatô originis. Naturæ beneficio suspecti sunt, etiam in filios sæuitum! Quantum erit, humanissime Vos omnes appellari cognatos Regum? summum est, nisi tamen Vestrum foret, esset minus. Romani Cæsares quamdiu viuere poterant, filiorum mentionem non ferebant, adoptabantur à morituris; tum primùm habenas orbis concedebant, cùm ex orbe abibant. Postquam inter vmbras venerant, emergebant è tenebris qui hereditate possessionem adirent, nec tuti esse poterant, nisi è regia ad rogum, è rogo ad cineres, qui adoptauerant, abijssent. Verè magnum, securè Vos Regum consanguineos audire. Sterile illud bonorum principum seculum, vltima morientis Imperatoris voluntate successorem accipiebat. Comitia electionis celebrabantur in lecto, suffragia moribundi suspirijs & gemitu miscebantur, & fere dignus morte Princeps legebatur. Erat tamen omnis Imperij spes à desperatis, omnis salus à morientibus. vt vnius rei corruptio alterius generatio est, teste Philosopho, sic Romanis Principibus filij è bustis & Cineribus nascebantur, Phœnices credere poterat orbis, si diu Imperare liceret. Si ILLVSTRISSIME PRINCEPS Regum Serenissimorum voluntate suprema morientium, heres ex asse fieres, suspiceremus in vna testamenti tabula, imaginem animi Tui, elegantiùs, quàm Apellea manu depictam. non excederent sensus nostri merita Tua, in tam speciosis præmijs. neque tamen Te vt DEVS & Natura æstimaremus. Purpuram Tibi & Paludamentum peregrino fuco intinctum imponeremus: DEVS & Natura sanguinem Regium donauit. Nos dignum Te diademate putaremus; ille, & illa dignum fecerunt. Nos offerremus Coronam capiti, ab ijs dignum diademate verticem tulisti. In Tua Regnatrice Familia vniuersæ Poloniæ Archiuum depositum esse videtur. Iagellonici sanguinis, quo nihil isti Regno pretiosius, filij, Vitoldi Nepotes; quot sceptra? quot diademata? quot Solia? Hìc capitolium est triumphale, spolijs hostium, Palmis & lauro vestra exornatum. Legimus in Tuis fastis Serenissimorum Regum nostrorum Togæ Sagique decora. hìc illi vt in proprio fundo longè latèq; ferrum simul & pietatem, extendunt, VLADISLAI, CASIMIRI, SIGISMVNDI. quot Nomina, tot Numina. non in Cineribus Tuis, sed in Ceris Vestris, magis in animo viui. Regni istius potentissimi post fidem Catholicam pretiosissimus vnio est. Ordinis Equestris libertas, multæ aliæ nationes seruitutem

ferre

ferre possunt; quædam nisi sub iugo & ferula sint, nihil in moribus sanctum, nihil in vita tolerabile: Nobis etsi licentiosis esse in libertate non licet, frenum est non seruitus, & cum virtute necessitas. Imperia vnius omnium consilijs constant, quæ vt faciliùs expediantur, priùs omnibus placent. ita libera imperia cùm sint, maxima est in exsequendo necessitas. Habet libertas, etsi generosissima est, nescio quid de violento; nulli magìs seruiunt, quàm qui liberè tractantur. ita sibi maximè quisque imperat generosus: in seruitute nihil est præter aliena imperia, quæ animos non flectunt, sed frangunt. Est cur meritò Serenissimorum Regum nostrorum manus deosculemur. Gaza est magnorum meritorum: hic regni limites pomoeriaqué Poloniæ, aut promota, aut defensa, hæ priuatorum publicasqué opes noua accessione accumulant, ab his quietem domi, securitatem foris, leges, iudicia habemus. Primùm nobis adorantibus Reges, manus obuiæ sunt, primùm nos manus affectamus, gratitudiniqué nostræ, beneficijs illarum litamus, cùm libamus: & quia maiora animo, quàm manu beneficia accipimus, mancipamus animos nostros in osculo, quam hinc accepimus vitam, inspiramus, & quis beneficiorum sit gustus, quo ore prædicare solemus, declaramus. At mihi videtur in illa suauiatione, nullū suauius beneficium sentiri, Libertate: siue animum Regum munificentiæ attendo, rarum est: siue nos qui accepimus, gratuitum est. etsi Maiores nostri hæc præmia merebantur, malebant tamen in conscientia Principum sua præmia esse, quàm domi suæ. Ita infantes in Fide & Religione erant, vt si sanctos Reges haberent, existimarent nihil melius subditis ab illa maiestate dari posse Religione, *Pietate* Principum. Priuatum putabant, quidquid omnes contingebat, publicum, quod in Rege cernebatur. Reges Serenissimi sua voluntate, & tantùm DEI ipsius consilio, in vno libertatis beneficio duo fecerunt: ne si rogati fecissent, tantum de gratia amitteretur, quantum esset precum pretium, tantum de gratitudine apud subditos, quantum de supplicatione dedissent. TVI ILLVSTRISSIME PRINCEPS Sanguinis, istæ non iam guttæ, sed riui; nos fontem coronamus, quoties libertate ac vitâ ipsâ spiramus. Qui seruitutem non experti sumus, liberè nos viuere putamus, cùm licentiosè; at in libertate ingenuâ nulla est peior seruitus, quàm necessitatem faciendi ex eo astruere, quia licet. Honestissima sit oportet, vt gratiam habeat, licèt latissima, fundum virtutis non excedat. quisquis Liberrimus viuit, vt omnes *Poloni* deberent, necessitatem gratitudinis sibi imposuit, Tuæ ILLVSTRISSIMÆ FAMILIÆ, vnde primùm Tuorum Serenissimorum Maiorum voluntate, profluxit. Aurea libertas nasci Romanis nisi è

sangui-

ſanguine Tyrannorũ non potuit: è peſſimis Parentibus optima proles. Nos etſi ſanguine hoſtium iſtã laudem meriti ſumus, feliciorem putamus libertatem, quam dederunt Reges, non priuati fecerunt; innocens eſt noſtra, nulliûs cæde conſtitit, niſi eorum qui maximè mori debebant. Violenti ſiue lucis, ſiue gloriæ partus, diuturnitatem non habent, & abortiua libertas, quæ inuitis Regibus extorquetur. Habet tamen Polona libertas, quam nullæ aliæ gentes, Reges ſuos amandi neceſſitatem. Nemo niſi furioſus & amens (vt eſt apud hos etiam nomen DEI inſanum) temerarius eſſe potuit. Mihi nimio plus diffluit lacinia in Libertate; Regium beneficium eſt, Tuorum eſt. Parcendum non erit beneficijs Tuis, cùm Maiorum Tuorum laudes nequé à me ſine iniuria tranſiri, nequé à Te ſine crimine læſæ maieſtatis contemni poſſunt. Nondum quod maximè in ſummis Familijs commendationem habet dixi; pares Vos eſſe Maioribus. ſolum diſcrimen inter Parentes & Filios, Auos ac Nepotes, debet eſſe ætatis; Gloriæ & Immortalitatis idem eſt curriculum, ſi in poſteritate non ſeneſcit cum annis anus Fama: bene agitur cum Maioribus, cùm bene agunt poſteriores, etſi illis multum, quòd telam gloriæ orſi ſunt, plus ſibi debent poſteri, quòd perficiunt. Omnia initia faciliima ſunt, pluresqué authores imperfecti operis. ad medium facti venire ſolùm illi ſolent, qui bene incipiunt. citiùs finem vitæ facimus, quàm operi coronidem. Rari ita perfecti virtutum architecti, vt vltra fundamentum aſſurgant; pauciorum ſunt parietes, tabulatum, tectum. Poſterorum eſt à Maioribus accenſam facem non exſtinguere poſtquam acceperint, ſed oleum omne, & operam in lumine fouendo impendere; ſolâ conſtantiâ in bono ſuperare debent. Imaginem Coæ Veneris, cui Apelles ad Manes vocatus ſupremam manum non impoſuerat, nemo pari artificio reſtituere in integrum eſt auſus; cùm multi conati eſſent aliquid commodare, deſperatione operis manum de tabula, etſi magiſter non aderat, detrahebant. Alia eſt in Ceris & imaginibus Maiorum ratio. Multum poſterorum arti relinquitur, & maximè cùm ad vmbras Aui, aut Parentes decedunt, laborandum eſt de luce Maiorum. Cùm ſol occumbit, aſtra videntur; non ita poſteri Maioribus exſtinctis. quamdiu viuunt, luce eorum minores ignes accendimur, poſtquam exſtincti ſunt, niſi fomitem gloriæ in nobis habeamus, omnis Patrum lux, fumus eſt. Qui primi aliqua in Familia floruêre, magnam innocentiæ illecebram habebant à ſola virtute; cuius tantus guſtus eſt, vt etiam illis, qui voluptatibus perpetuò ſaginantur, in fame ſapiat, licèt, quod in laborantibus ſtomacho euenire ſolet, ſaluberrimũ ad vitam immortalem cibum, ferre non poſſunt. Acuebant

fortitudinem ipſa fortitudine, ſanctitatem ſanctitate, Religionem Religione. non præibat Gloria, non dominabatur, ſed ſequebatur, famulabatur, vt vmbra corpori. nulla erat ſpes lucri, & amittebantur opes; nullum odium vitæ, & mors in bello quærebatur; nulla odia amicorum, & ad hoſtes ibatur. Parua putabatur merces Virtuti Gloria, Virtuti Virtus rependebatur. In poſteris ſanctè & religiosè viuendi, plurima ſunt argumenta, plures illecebræ. Multum naturæ, ingenioq; ſuo debent, ſummum virtuti. ſed Sereniſſimorum Maiorum imagines, multum etiam ſuo ſibi iure vendicant. Ex atrio in pectus ſuum Boleslaus Kriuouſtus, è pariete in animum, tranſtulit imaginem Parentis, vt quid ſanctè agendum eſſet, quid fugiendum, moneretur è vicinia. Alexander Macedo id vnum metuebat, ne Pater orbis terror eſſet: capere ſpolium malebat, quàm accipere hereditatem, flebat in ſummis triumphis; toties captiuabatur animo, quoties ille vrbes capiebat. Sola hæc cum Parentibus licita & honeſta contentio, certare de Gloria, etiam vincere. Nolim hic Catonis præcepto cedere Maioribus, aut parcere Minoribus. illi meritis, Gloriâ, ſuperandi; hi ita relinquendi, vt plus de paterna virtute accipiant; immó tantùm, vt totâ vitâ ſanctiſſimos eſſe, ſola Patris æmulatione oporteat. ILLVSTRISSIMÆ TVÆ DOMVS Gentiles ita omnes vixerunt, vt qui primus in familia erat, in virtutis regno non aduena, ſed Ciuis, non peregrinus, ſed Patritius, dici potuerit. Vtinam & otium mihi, & Veſtræ Ceræ ad manum eſſent! arcana generis Veſtri celeriùs quàm Cereris vulgarem. quanquam, ſi origo vt quæſitu, ita inuentu difficilis eſſet, antiquitatē argueret; æternitatē, ſi impoſſibilis. Dubitâſſe vniuerſum Regnū, cùm nihil magìs ſciat, crederem, imponeremq; ignorantiam, ſi docere vellem. Maximè ſuſpectam facit originem Nobilitatis iactatio; ſi quis ſolicitè affirmat ingenuum ſe eſſe, meruit vbi genitus ſit interrogari, quòd non ſit, niſi in peregrinis. Niſi ego Reges Poloniæ non à Religioſis PIASTIS, à ſagacibus PREMISLAIS, à Sanctiſſimis IAGELLONIBVS, deriuatos eſſe dubito, facilè in linea veſtra errauero. Ignorauerim priùs VITOLDOS, Cruciferorum fulmina neſciam fuiſſe. Magnum erat in VLADISLAO IAGELLONE, animum hoſtilem contra Polonos exuere, maius amicitiā offerre, maximum vnire Florentiſſimam Regno Prouinciam. quale tandem, depoſita feritate induere humanitatem? abiecta ſuperſtitione, veram Religionem agnoſcere? colere? delere ſanguinem è cæde innocentium, adhuc in manibus ſtillantem, aquis luſtralibus? ita demum viuere piè ac religiosè, quaſi non eſſet illecebra ad libidinem è conſuetudine peccandi, nec recrudeſceret furor tot antè cadaueribus ſagi-

natus.

natus. summum hoc IAGELLONIS VLADISLAI erat: hodie adhuc Vestrum. Memoriæ proditum est, vnam Fabiorum Familiam impetrasse apud Remp: Romanam, totius Ciuitatis contra hostes odia; deuota pro incolumitate Patriæ pectora, exercitum fecerunt è se ipsis. vno prælio victores cecidère trecenti. bustis suis altius Romanum nomen fecerunt, Vrbi palmam, sibi cupressum, Imperio lumen suis Vmbris attulerunt. Quidquid in Regno triumphorum est, quidquid in magno Ducatu Lituaniæ, Vestræ Familiæ non auspicijs modò, sed vi & robore paratum: assidua armorum tractatione fecistis, vt nec milites meliores, quàm è Vestro Equo descendant, nec Imperatores magis industrij, quàm Equites Vestri. vnius Familiæ Viri hoc est IAGELLONICI sanguinis, VISNIOVIECII, KORECII, OSTROGIENSES, ZBARASSIENSES, PRINCIPES; Moschos, Tartaros, Suecos, Turcas, domuerunt. quot Heroas nominaui? quot adhuc sua luce videri se non sinunt? Pedetentim Illustrissimæ Familiæ Tuæ atrium ingressus, video non iam stantes in curribus Æmilianos, aut naso carentem Galbam, sed Ceras adamantinas, & imagines non fumosas, sed aut sudore, aut sanguine elutas. Nihil de fumo, omnia ex optima immortalitatis & honestissimæ contentionis fama. Dij quidam terrestres, aut homines cælestes esse videntur. Quomodo me in primo ingressu, adeoq; in ipso limine pendentes Ceræ suspendunt! quomodo magni Manes Illustrissimæqué Vmbræ tenent! ne quid irreuerenter dicam, inurbanè faciam. De cælo VLADISLAE IAGELLO annuis, & veniam temeritati meæ facis, quam in Crucigeris castigasti. Cerno te Gruneualdi iactare spolia, ridere Teutonicum fastum, & quos hostis obtulerat procaciter gladios, in iugulum eiusdem acuere, iustâ iracundiâ, cote virtutum. Quis ille Vladislaus ad Varnam! minor capite, sed non Gloriâ: adhuc spirat in hostem! magno exemplo docuit, optimam esse mortem à pessimo hoste, & pro bona causa neminem posse malè perire. felix si frequentiùs daret præcepta, quàm exempla. florem ætatis purpurâ sanguinis intinxit, & licèt sibi parum, satis gloriæ & immortalitati vixit. Fecit sibi egregium abeundo è viuis comitatum, cæde Turcarum: & vt illustrior esset, inter multas vmbras hostium comparuit. Inter lugubres Poloniæ lessos, illud vnicum, quod nemo vtilius votum reliquit, non esse sibi deinceps Reges adeò fortes. In Te CASIMIRE Patrem & Fratrem viuos video. alijs Regibus felicior, quòd Patrem & Filium Sanctissimum haberes; vnum satis ad immortalitatem est, vtrumque virtus Tua meruit. Quàm feraci virorum fortium regno imperares, demonstrat numerus Filiorum; quàm dignus regno esses, dubitare nemo

mo potuit, cùm, digniſſimos Reges, Hungariæ, & Poloniæ genuiſti. Vnus omnibus orbis non ſufficiebat, vt debuerit innocentiſſimus Filiorum CASIMIRVS Regnum cæleſte occupare. flores mihi loqui videor non verba, poſtquam CASIMIRVM nominaui, Philippo ſumma gloria credebatur Alexandrum filium reliquiſſe, quale erit CASIMIRVM? Ab orbe concuſſo extorſit encomium triumphans Imperator, CASIMIRVS ſuas laudes, non vi ſed modeſtiâ, non ferro ſed cereo ad omnem formam virtutis animo, non iugo orbis, ſed contemptu meruit. In honeſtiſſima apud vniuerſum orbem opinione nos reliquit, ſanctiſſimos debere eſſe, qui Polonis imperent; immo cùm etiam Sanctiſſimi à clauo Reipublicæ eripiantur, ſolum Poloniæ Principibus par Polorum Regnum eſſe. Quis ille in tuenda pudicitia pudor? malle cum flore innocentiæ, quàm cum fructu vitæ manere? Quæ pietas, docere modum pietatis? Quis Virginis Matris cultus, in profeſſionis huius magiſtro ſingulari? quid agebat horis ſingulis, qui Omni Die in penſo illius occupabatur? Quid ALBERTI, ALEXANDRI, VLADISLAI, Filij! Nepotes, qualium Regum! Diuiniſſimi CASIMIRI Germani Fratres, qualis Fratris! Quid SIGISMVNDI? quot? quàm præclari? Ille primus initio Ordinis & virtute! Tacete Romani Auguſtos, Noſtra res eſt, Veſtra Nomina. Kalendæ Sextiles Auguſti SIGISMVNDO I I. Nomẽ dederunt, Auguſtum fecit libertas Polonorum verè Auguſtalis, Romanæ par, nullâ minor. Vltra fines Regni Baltimque vocor, ad carcerem inuitor, ad Tuas SIGISMVNDE III. cunas; ne citò ad gloriam euolares, non vteri modò materni clauſtro, ſed vectibus quoque & ſeris carceris incluſus tenebaris. ne citò ad meſſem & fructum adoleſceret MANIPVLVS, ſolem illi inuidia eripiebat. tantùm in illis, & ex illis vmbris eluxit, vt ſerenitatis radios non Poloniæ tantùm, ſed toti Orbi diffunderet. nullas faciliùs, quàm Regum calamitates DEVS, & fortuna vindicauit. Ita SIGISMVNDE III. O nunquam ſatis memorandum Nomen! toto ſeptentrione, etiam vbi longiſſimæ ſunt noctes, in Suecia eluxiſti, vt optimum Sueci Regẽ viderent. vitam cùm poſſes perfidis eripere, donaſti, magno clementiæ Regiæ exemplo, libertatem. imperare Rex ſanctus ibi nolebat, vbi locus veræ religioni & negatus eſſet ſanctitati. magnam hereditatem reliquit, ius armis ſuis aſſertum. ita vixit, vt tempus Regni ſui, non annis ſed pugnis, ſed victorijs, ſed triumphis, diſtingueremus: ita mortuus eſt, vt ſi quàm longiſſimè viueret, ſperare potuiſſemus tam diu triumphos, quam diu aliquid vincendo ſupereſſet. O ſemper felicia Nomina Polonis VLADISLAI! in vno VLADI-

SLAO

SLAO IV. eſtis omnes, vel Maiores, vel Poſteri. Hic ille Aſiæ Terror, Septentrionis fulmen, Polonus Hercules, Mars Europæus. Adoleſcens petulantis Lunæ cornua, cui ad plenum orbem vna Polonia deſiderari credebatur, ita ferro diuiſit, vt Noua viſa ſit, quæ ad Plenilunium properare putabatur. Spes omnes Regni vnà ſecum ad limites eduxerat, diluuio totius Aſiæ, ſuo pectore aut buſto, aggerem facturus. Videbatur illi non OSMANVS, ſed AMVRATHES: non ad Chocimum, ſed ad Varnam putabat ſe fixiſſe tentoria. Nunc Militem, nunc Imperatorem agebat, & magnæ virtuti, quam in arenam educebat, Osmani iugulum dignum ſtipendium pollicebatur. Ita tum ferrum pio dolore, & iuſtâ iracundiâ limauit, vt licèt Moschi duriſſimâ ceruice infigeret aciem, nunquam in Turcarum iugulum hebetaretur. Quæ in alijs ipsâ morâ deferueſcunt conſilia, nutriebantur in illo, longo ſilentio; & non niſi tum in vulgi aures peruolârunt, cùm à Valachiæ limitibus vno paſſu aberat Vladislavs. Ita æquum Numen Supremum eſt, vt eas manus, quas à vindicijs Vladislai ad Varnam crudeliſſimè perempti auocauimus, in iugulum noſtrum conuerterit. Habet Vladislai fortuna etiam hanc felicitatem, non potuiſſe Regnum ſe viuo, niſi quietum eſſe: animam illi eripuit, poſtquam DEO ſuam reddidit. Quid Alexandri? quid Alberti? etiam mortui in ore omnium ſunt, in animis egregium atq; perennius ære habent monumentum. Te Sereniſſime Casimire feliciſſimè regnantem æmulari Parentem, & Fratrem videmus. Artem regnandi turbulentiſſimo hoc tempore, vt optimi Reges ſolent, exerces. Tot tempeſtates nunquam gubernaculum excutient. quidquid de Te iam ſummum dixero, minus eſt eo, quod in prouida mente deſcripſiſti. Præclaræ Tuæ res geſtæ etſi multæ ſunt, nondum totæ; recens illarum memoria accuratior eſt apud dignos Patriæ Ciues teſtis, quàm mea oratio. Dabitis veniam Sereniſſimj Reges, mutuare à Vobis ſuas laudes Principes Czartoryscios, quibus Regium Sanguinem Maiores Veſtri dedêre. Etiam in Te Illuſtriſſime Princeps non peccaui, niſi, quod gratiſſimum ſolet eſſe apud humaniſſimos, benè merendi ſtudio. Quidquid cõmendationem à veritate habet, à fide publica authoritatem, loqui me non pœnitebit. in quocunq; tandem æquitatis foro, facilè ſtylum meum tuebor, Authenticis tabulis, vel Regum Oraculis. Ab Equite Tvo ad Aquilas prouocaui, eâ prorſus, quâ Vladislavs Iagello in nidum Sarmaticum euaſit, viâ. vt magìs veloces, vti par erat, Principis Sarmatici, curæ eſſent; fatigatum cataphracto milite Equum, commutauit cum Aquila. nimirum non tantùm currendum, ſed volandum erat per immenſa Regni ſpatia: permutanda calcaria, cum pennis, vel vnco,

Equus

Equus cum Aquila, miles cum Rege. Cæterùm ita integra Tibi Tuisq; Serenissimorum Ducum Lithuaniæ mansit tessera, vt hereditate prorsus à VLADISLAO acceptâ fuisse videretur; ne cui dubium esset, publicis tabulis consignatum beneficium hoc Regum Poloniæ, Domi Vestræ habetis. ea verò summa votorum est, apud Reges non inuitos tale beneficium mereri. Per ducentos, & quod superat, annos, Familiæ Vestræ tot ornamenta quot viri, tot summi quot Maiores, ab Olgerdo IAGELLONIS Magni Parente, longâ, nunquam tamen interruptâ serie, viri viros excepêre. duodecem Filijs postquam Lithuaniam cumulasset, in vno quoque plurima toti Poloniæ, & magno Lithuaniæ Ducatui reliquit beneficia; gentem pœnè Fabiorum, Patres Patriæ, hostium fulmina. Quis ille Theodorus CZARTORYSKI Luceoriensis æquissimus Gubernator? in vno Viro, quot Marcelli, Scipiones, Camilli? ita suam Spartam exornauit, vt hodie Luceoriæ munimento sint sua beneficia. alij necessarium putant ditescere Reipub: Patrimonio, ille diuitem fecit Luceoriam. ALEXANDER CZARTORYSKI Palatinus Volyniæ, Patris gloriam superauit: Virtus vtriq; ex æquo. In arce consiliorum, quod saluberrimum, non quod libertimum, locutus, meditatam in conscientia dicebat sententiam. In Senatu publica priuatis, vel odijs, vel amicitijs miscere, nondum erat ars ætatis illius. fiebat è Curia Regis Capitolium, è Senatoribus Areopagus. Fidem & orationi meæ, & illius virtuti, fecit ex Filia Nepos, ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS GEORGIVS; nostrâ memoriâ ad æternam recordationem, è vita in flore ætatis, Patriâ inuitâ, decessit. Venio ad Tua propiùs. HIERONYMVM CZARTORYSKI nomino Proauum Tuum Paternum. consilio & armis promptus, non verba in laude, sed præclaram de se Regis Augusti opinionem habebat. summa enim laus est, dignum difficillimo Patriæ obsequio existimari. Cætera laudis & gloriæ merita sunt, illud stipendium. Quem tandem bello cum Moschis, animo simul & solo frigidissimis, toti Palatinatui Kiiouiensi præfici oportuit, cum iure & potestate armorum? Virum omnino militarem, prudentem in consulendo, strenuum in agendo, industrium in perficiendo. vni homini non vnius tantùm Kiiouiæ, sed omnium Polonorum salus credebatur. HIERONYMVS CZARTORYSKI tot priuilegijs dignus, Regi & Reipub visus est. IANVSSIVS CZARTORYSKI Illustrissimi Parentis Tui Patruus, quid in Moschouia egerit, quot ignibus Moschouiticum gelu adusserit, eodem teste quo Imperatore vtebatur STEPHANO BATHOREO. vtriusque virtus spectatissima, & sine suspicione alterutrum testimoniū. Neque IANVSSIVS, nisi cum strenuissimo Imperatore militaret, neque STEPHANVS, nisi cum fortissimo milite. At

nullum magis viuum teſtimonium fortitudinis eſt, quàm à mortuo: nullum in Remp. beneficium maius, quàm vitæ ſuæ heredem facere: abire è puluere Martio, ad Cineres; & in ſanguine vel ſuo vel hoſtium, ad portum immortalitatis nauigare, & ſummum eſt, & Veſtrum eſt. Multi illuſtrium Familiarum malunt ſe Patriæ ſeruare, quàm dare: Veſtrum eſt, exiſtimare feliciorem eſſe mortem in pugna, quàm vitam in fuga. Pœnituit Mortem eripuiſſe ei vitam, qui tot Moſchorum cæde, Manes inferos cumulaſſet: ſua ſe falce tum maximè læſit, cùm illum occidit. Quamdiu PſKouum Polonorum erit, monumentum gloriæ Veſtræ, Vos Poloniæ ſtatores eritis. Quocunque Poloniam luſtrauero, video veſtigia Veſtri Eqvitis, audio ſonare arma, non intentare modò ictum, ſed infligere vulnus. Martio poenè vultu & paſſu inceſſit Georgivs Czartoryski per Liuoniam, & Valachiam, per cadauera vel Suecorum, vel Moldauorum luctatus, aſſurrexit, donec verticem cælo intulit. Intueri dum licèt Illvstrissimvm Andream Czartoryski Virtutis Paternæ heredem. fateri neceſſe eſt, non poſſe bonos niſi optimis naſci, fortes fortibus. Iniuriam me facere tot alijs Illuſtriſſimis Vmbris exiſtimarem, ſi Hiſtoricus eſſem: excuſationem ex ipſa charta habeo. neceſſarium eſt breuem & compendioſum eſſe, in ſumma virtutis. In animis, in faſtis Polonorum eſtis. tot priuilegiorum, quæ in Archiuo Veſtro ſunt, aut Hiſtoricorum noſtrorum, Stricouij, & Paprocij, cæterorumuè amanuenſis non ero; impleuiſtis non paginas, ſed libros. Illvstissimvm Parentem Tvvm Caſtellanum Volyniæ venerari ſilentio non debeo; apud humaniſſimum, qualis ille eſt, non merentur gratiam muta officia. Habet hoc Vestra Illuſtriſſima Familia, quod & ſol, ſingulare, etiam parietinas intrare, exire ex aulis in porticum, obuium eſſe accedentibus, ſalutare, alloqui: & his quos reuerentia aut elingues, aut balbutientes facit, animum addere, ſuggerere verba, humaniſſima vel oratione, vel manu: vt non accipere videamini dextras, ſed dare. hoc verò quàm Regium ſit, oſcula noſtra docent. audeo, accedo. ſi fortè digniſſimam canitiem verecundia laudum aſperſerit, veras faciet: quod ſi offendi Oratori importuno volet; priùs ſibi, priùs conſcientiæ, priùs rectè factis, quàm mihi neceſſariã omnino apud bonos culpã imputabit, laudare. Habeo aliam obſequij mei veniam, famam publicam; ne diſſentire videar tacendo, loquor & ſentio cum multis. Illvstrissimvm Progenitorem Tvvm hac noſtra hoc eſt calamitoſa ætate, aurei ſeculi teſtimonium, non in verbis, ſed in vultu, oculis & fronte; non in iactatione veterum annorum, ſed in feruore recentium virtutum, regno iſti dediſſe, ſola indulgentia ſenectutis eſt, indulgere animum

Reip.

Reipub. curis, animam Christianæ pietatis officijs. florentissimæ putantur opes, quæ sufficiunt: cúmque multum de auro sit, nihil de fame auri. Illæ magnæ diuitiæ, nihil debere, inter seruos nullum creditorem habere, nullum in comitatu circumferre. Omnia summa minimis officijs probantur; & maximus est, qui scit eminere inter Principes, non apparere inter mediocres. Illius est inter domesticam supellectilem, fictiles pauperum vrnas numerare; excipere hospites cùm venerint liberaliter, inuitare contentiosè, nunquam domo pauperes dimittere. non rogatur beneficium, sed in vno dantur duo, quoties postulationes præueniuntur. non vult esse pretium verecundarum precum benefacta; magísque beneficium accipi, quàm dari videtur, si quis petat, si quis accipiat. nunquam excusata occasio, nunquam dissimulatione inuoluta; libri beneficiorum non scribuntur, minorqué est ratio dati, quàm amissi. Hæc Tvi Illvstrissimi Progenitoris decora sunt, hæc Familiæ ornamenta, hi colores Imaginum, & Cerarum. licèt ille iam omnes sine molestia virtutes exercuerit, mihi scribere omnes, opus esset inter magna summum, inter omnia singulare. deligere, eorum est qui scribunt, non qui faciunt. Feci necessitate, quod arte facere solent, ex Apellis classe Pictores. facies illi, & summa capita confertæ multitudinis exprimunt, corpora confundunt, & quo rariora sunt simulacra, frequentior est numerus. O quantùm vltra Vos Heroum latet! ex Te vno Illvstrissime Princeps disco omnes. Bene in Tua Theologia, cuius sapientissimus Doctor es, nosti Angelorum species magis vniuersales esse. rerum etiam contrariarum formas, etiam materialium ac spiritualium repræsentare; dedisti in Te compendium Maiorum Familiæ, succum sanguinis. Philosophorum doctrina, quotidiana experientia est, maximè in matrum mores formari filios. Nisi Illvstrissimvs Tvvs Genitor Sanctissimus esset, Maternam in Te regnare pietatem agnoscerem; nisi fortissimi Aui, Proaui Paterni, constantiam animi è Korecijs Principibus, è Matris sinu & lacte accepisse, existimarem. Adhuc ab Orgeldo commune Tibi cum KORECIIS, VISNIOVIECIIS, ZASLAVIENSIBVS, OSTROGIENSIBVS, ZBARAVIENSIBVS PRINCIPIBVS Genus; ex vno fonte in tot flumina diuisi estis, vt in summa Patriæ siti, futuræ sint Vobis vel in sanguine natare deliciæ. Tantumné KORECIOS nominabo? illud Nomen quod cantare inter opificia artifices, inter studia & libros Scholæ, in hibernis & æstiuis milites, in aquis Tritones solent! Etsi nemo silentio peccare solet, crimen hìc est taciturnitas: ipsi muti quod Nomen toto orbe decantatum non loquantur, miraculum est. BOGVSSIVS

KORE-

CKI Illustrissimæ Genitricis Tuæ Auus, quantus & qualis Palatinus Volyniæ, Regni Poloniæ Senator. Quæ bella gessit? quot palmas tulit? Lacessiti Tartari, tentati Turcæ, Valachia, Bulgaria, peragratæ; Borysthenes, Tyras, Hypanis, & Prutus, turbati. Crimea adita, territum Oczakouum, visa Theodosia, & metu victa. tota Russia catenatis Turcis, vel Scythis personabat: tota Polonia triumphis. Odia nunquam contra barbaros deposuit, nisi in morte; nunquam arma exuit, nisi cùm exueretur è vita. Tunc etiam sui non immemor, odia in Ottomanos hereditate Filiis, totiqué KORECIORVM Familiæ reliquit: vt cum nullo nisi cum DEI hostibus inimicitias exerceret. Vnus omnium cùm nomen illustras, obscuras etiam SAMVEL KORECKI! Poloniam vniuersam captiuam detineri illa turri putabant Barbari, quâ Te inclusum tenebant. Etsi lucem non videbas, faciebas tamen. Te viuo securam non putabat fore Tyrannidem suam OSMANVS; non priùs Constantinopoli ille, quàm Tu viuis exclusus es. O verticem, ad cuius conspectum Asia & Africa, magna pars Europæ in Moschouia, Suecia, Bulgaria, Valachia, extimuit! Viuus in manus hostium delapsus, manus & pedes vinctus, libertatem animi pœnè Polonam DEO, Religioni, consecrauit. Promittebantur à perfidis præfecturæ militares, Purpuratorum decora, proponebantur tot aliorum transfugarum à sacris Patrijs exempla. sed vinciri manus, animus vinci non potuit. Vt solent aduersa aperire animi oculos, cæcum Schisma, in arce eiusdem, hoc est Constantinopoli, perosus; sacra rustica in Nobiles Latinorum ritus, commutauit. Tentabatur vario tramite fortuna, si quo modo SAMVEL euadere ad suos, iam secundò posset. Frustra erat pro debito cælis animo, mortalium contentio. illâ ipsâ, quam præferebat, animi generositate, blandâ beneuolentiæ conciliatriculâ, accendebat furorem barbarorum; sola Virtus crimini dabatur: at non inultus; postquam fortitudini suæ & inferis litasset cæde barbarorum, vt solent fortes, victor, magìs sua fatigatione, quàm imbellium parricidarum vi, concessit. Ego Attilij Reguli, liberrimi apud Carthaginenses captiui, dum fortitudinem mecum ipse cogito, SAMVELEM KORECIVM æmulum illi gloriæ video. ILLVSTRISSIMI PROGENITORIS Maternum genus, Tuos Auos, silere non debeo; sed dignè loqui, si omnia percensere numerando voluero, liber non capiet, librum manus. Etsi me laboris & industriæ meæ pudet, non pœnitet fortunæ; incidisse me in eam scribendi materiam, in qua nulli res defutura sit, sed omnes rebus. Vos ILLVSTRISSIMI PRINCIPES KORIBVTI VISNIOVIECII dum nomino, Poloniæ Orbis assurgit Orationi meæ, & serena fronte memoriam virtutis Vestræ gratam esse

testantur. Polonia, dum calamitosa est, Vestro nomine erigit animum: tantumqué illi spei est, quantum Vestri. Religio Catholica, nomen supremæ maiestatis, ad carorum pignorum memoriam, toto viscere subsilit, & dum in sinu habet, habebit autem semper, bona spe se lactat. Nemo hactenus hostis Regno huic Reip.qué fuit, qui inimicitias cum VISNIOVIECIIS non exerceret. Numerare omnes nolo, Regni hæc arithmetica est; non reuocabo in memoriam Maiores. ILLVSTRISSIMVS HIEREMIAS VISNIOVIECKI omnium compendium & summa. Patieris Illustrissime Princeps detineri Te longiùs in ILLVSTRISSIMORVM VISNIOVIECIORVM IMAGINIBVS: scio enim hasce Ceras viscum esse animi Tui. Te primùm, quoniam propior cæloes, intueor VISNIOVIECKI KORIBVT, ex vnco Constantinopoli pendentem. leue omnino pondus terris, graue Turcis! Tanti Poloniæ vniuersæ clades hæc constitit, vt non Ciuem, sed Patrem se amisisse senserit; non vnum strenuum militem, sed exercitum. Iam quis in Equo Vir fuerit, documentum dedit in vnco: quis in campo & puluere Martio, Bizantinæ Regiæ area testabatur. Vnum à Barbaris beneficium moribundus postulauit, facere experimentum, quis vigor animi in enecto corpore esset, permitterent. Arcum & sagittam, vtraqué sua, postulauit. qualem arcum! Apollo ipse neruum non flecteret: accepit, lunauit, & metam quam in pectore vnius Bassæ sibi defixerat, dum in meta vitæ est, confecit. O manum! ô arcum! ô animum! ô virum! miraculo par erat, potuisse talia semimortuum; maius miraculo, neminem ex satellitio Barbari Principis, cùm omnes tentarent, paria potuisse. IOANNE CASTRIOTTO, Turcarum fulmine, Christianorum Scipione, è viuis sublato, capta Epiri vrbe Lyssa; arma fortissimi Principis, vnà cum Cineribus, in manus venêre Barbarorum: fecerunt reuerentiam Turcæ ossibus, aderat in animo præsens, experta Castriotti virtus, & adhuc ex vmbris, terrebat noctuas. Gladius ad Imperatorem delatus, non ille esse putabatur, quo SCANDERBEGVS plura millia Turcarum sua manu necauerat. Nemo erat qui stingeret, nemo qui vibraret. ita graue est, quod contra Religionem stringitur: pro bona causa, pro Deo, plumbum etiam volat in manu. Etsi huic Regno amisisse VISNIOVIECII arma, ingens damnum est: mansisse virtutem & manum opinari debemus. sæpe cum Regno Poloniæ Imperatoribus Constantinopolitanis controuersia de agro fuit. nobis solitudinem Vkrainæ vindicantibus, illis repetentibus. fortissimi Fæciales Visniouiecij, litem fundo suo diremerunt. Non priùs Regni limites circumscripti, quàm Bersada deleta. Alij multi quia longè à Scythis positi sunt, felices se ali-

ena trepidatione putant; Visniouiecij viciniam cum Tartaris habent non campos tantùm communes, sed fluuios; nec Borysthene aut Tyrà defendi se putant, sed sua virtute. In TE ILLVSTRISSIME HIEREMIA VISNIOVIECKI Terrarum Russiæ Palatine, Maiorum Tuorum non vmbram, sed lumen video: quamuis fecisse videris vmbram aliquam maiori luce Tua. collegisti omnia Maiorum decora, & in Poloniæ, totius Europæ, vniuersi orbis theatro, fecisti scenam, Te Actore, plausu orbis dignam. Prima militiæ rudimenta sub auspicijs Auspicatissimi Regis VLADISLAI IV. contra Moschos dedicâsti, vt Tyro quidem ætate dici potueris, veteranus fortitudine, scientiâ & virtute Imperator. non alienis præceptis, sed Tuis imperijs, non offensionibus belli, sed victorijs, sed triumphis, omnis ætas sequens traducta est. vtinam mihi digna Te, digna rebus quas gessisti, contingat oratio! A decimo octauo anno ad eam ætatem, nusquam nisi in Equo, nunquam nisi armatus: in summo frigore hiberna, in feruentissimo æstu æstiua. Quanta religio in Te sit, docuisti in schismaticis; quanta libertas, in seruis; quis amor Patriæ, in hostibus. vereor ne ad inuidiam dicam, quæ Tu ad Gloriam fecisti. Plinio interea non indiges, cum Liuios fatigas. Scio ILLVLLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS, non ingratam fuisse Illustrissimi Principis HIEREMIÆ memoriam digressione ista, non longè à Te recessi. immò cùm ad Tuos venio, Domi TVÆ me morari existimo. Habes in Tuo Illustrissimo sanguine, velut in alueo, tot Illustrissimarum Familiarum riuos, suæ gentis decora ad Te velut ad Portum virtutis voluentes. Ita Familiæ Vestræ obærata est Polonia, vt tot sanguinis Vestri merita, ex asse soluere non posse, debere tamen se fateatur. Vos quia humanissimi Creditores estis, merita vestra maximè ab ijs rependi existimatis, qui libenter se debere profitentur. Maioribusné Te Tuis, an Tibi Tuos maiores gratulabor? vtrûqué Tuum, vtrumqué Maiorum est. Te talem genuisse, Maiorum: tantis Maioribus dignum esse, Tuum est. at Tu non accepisti tantùm magnum genus, sed & fecisti: maioraqué Domi Tuæ merita deposuisti, quàm acceperis. summum est, at in pessimo, bene natum esse; in optimis casus putatur. gratum tamen est, vt omnia ea, quæ prospera fortuna dum amittit, nos inuenimus. Nobilitatem ex Te ipso sumeres, etiam dares. semper Tu in Maioribus Tuis virtutem magis spectabas, quàm sanguinem: sanguinis purpura, eumdem colorem in omnibus habet; differentia Familiarum poenè magis est à vita acta, quàm ab accepta. Gentilitiæ tesseræ oculorum insignia sunt, virtus animorum: illis inter nos distinguimur & cognoscimur, illâ apud DEVM. vniuscuiusqué Familiæ laus non

in mul-

in multitudine consistit, nisi fortè culicum & muscarum: magìs attenduntur boni, quàm plures. sæpè in optimo posterorum omnes Maiores videntur, & è pessimis omnibus ne vnum quidem è Maioribus optimum componas. Nulla tamen magìs necessaria posteris virtus, quàm Maiorum, reliquæ liberæ sunt. Vnius DEI Optimi Maximi vera Nobilitas, sine Maioribus est. tamen ambitio æternitatis in nobis facit longè antè deriuare genus, longè pòst promouere. Omnia de Tuo armato EQVITE ingeniorum commenta dicere, mei non est ingenij. velocissimæ licèt cogitationes sint, & ipso Mercurio magìs alatæ, EQVITEM istum assequi, tenere frenum, cohibere impetum, eximere ferrum, exuere loricâ, non possunt. nimirum illæ leuissimæ, hic ferri pondus habet. Tacete Pöëtarum fabulæ alatum ad immortalitatem Equum esse oportere; Cataphractus necessarius. Nihil hic inermis fortitudo, nihil pedes virtus, proficiet: Patriæ scutum, pectus esse iactatis? chalybs pectoris scutum. ferrum de manu quis abijciat? hostes in Cursu Olympico tot sunt, quot æmuli. Inermis Eques promptior est ad fugam, Cataphracto aut vincendum, aut moriendum. Non est Equus gradarius sub milite: in pede magìs agilitatem, fortiudinem in pectore, generositatem toto corpore circumferat: nimium celeres Equi, tabellariorum sunt.

QVis se citato fert sonipes gradu
Ad bella natus? non fugientium
De stirpe pullus, sed seueram
Fronte refert rigida Parentem.
Cùm rauca Pugnæ dat sonitum Tuba,
Assurgit, altis auribus inquies:
Vt frena spumosus remordet!
Hinnit vt! inter vt arma ridet!
Illum minantem, fortior increpat
Vrgetqué sessor: nunc genibus, modò
Collidit armis: inde frontem
Mulcet Equi, modò voce promptas
Irritat aures. splenduit vt ferum
Bellator ensem: quis furor? aut Equi,
Ad bella currentis? fugatos
Aut Equitis furor inter hostes?
Quantos tumultus cerno cadentium
Hinc inde Bessorum! hinc rigor Arcticus
Geluqué mentis Moschus imam,
Fronte petit moriente terram!

Illum receptæ cuspidis, intimo
Letale ferrum, pectore traijcit:
Hic dextra cum telo recisa,
Colla suo hîc viduata trunco.
Plures in vna, viscera peruij
Luctantur hasta. vulnera vulneri
Adduntur, ac ingens eundi
Porta vias aperitur Orci.
An non vetustum Bucephali genus
Seruásse credam? Natus Equus grege,
Qualem virili perdomabat
Harpalice generosa freno.
Partam Poloni discite gloriam,
Seruare campo: fidere mœnibus
Non nostra laus est; ritè clausis
Quando Phryges periêre muris!
Bellona clausis funera duplicat
In arce turmis. repit iners pigræ
Testudo mortis: surgit vno
Ex acie Libitina puncto.
Fiet sepulchrum, quod bene condimus,
Carcerqué virtuti, Arx fugientibus
Extrema restat, Arx asylum,
Indecoris fouea alta pugnæ!
Primum virorum tela periculum:
Fortemqué fortis dextera militem;
Cuniculosus, ritè doctum
Murus enim probat architectum.
Magnæ sub ipso nidificant Ioue,
Palàm volucres. sed timidæ Lari
Tectoqué fidunt, ne Columbæ
Progenies perimatur vnco.
Nolim Polonum credere mœnibus
Vrbiqué Martem. venit Eques Lechus,
Nudusqué nudos hospes agros
Imperio tenuit recenti.
Ostende vultum, dum iuuat, hostibus;
Ostende virtutem: eminus omnia
Ignota res sunt; fac Polonum
Hoste virum propiore cerni.

QVis me futuri conſcius impulit?
Phœbusnè? vel quis præteriti refert
Arcana mundi? quæ virorum
Signa Ducum reuoluta cerno!
Jam per Gelonas Sarmatici iuuat,
Errare Lunas, fulgur acinacis.
Vittata demetuntur enſe
Colla, rudi velut herba falce.
Rurſus pudendis, non ſua Thracibus
Erepta tellus Moldaua, Sarmatæ
Donatur heredi: Polono
Tecta foco Rhodopæa fumant.
Jam Varna Regis conſcia funeris,
Dudum merenti funere vapulat:
Redit Trapezuntum, pudenda
Quâ fuerat malè fraude captum.
Jo! ſed vltra, non reuocabilem
Eques gradum fert! prodigus impetûs
Jræque, Bizanti nocentes
Calce ſonat, quatiente portas.
Patent apertis, quælibet oſtijs,
Non vſitato Thracibus hoſpiti:
Jo! fatigatum reuictâ
Victor Equum religauit arce!

VENIO ad Virtutes Tuas Illuſtriſſime & Reuerendiſſime Princeps, & quanquam ſine imitatione ſunt, accedam. Scio Te, cùm maximè ſanctus eſſe velis, minimè velle videri. Nimirum vbi in pretio virtutes, abſconduntur: vbi veræ, habent pretium. Qui in ore ſuas virtutes habent, locum illis in conſcientia non relinquunt. leuiter nimis æſtimant, cùm plauſu humano vendunt, quo nihil leuius. Etſi plurimi fures Virtutum ſunt, ſi quando intereunt, non eſt furtum, ſed ſcelus ſine nomine! quod ignoranti & inuito accipitur; furtum eſt: quod ſcienti & inuito, rapina. Nobis virtutes noſtræ non imprudentibus aut inuitis, accipiuntur, non eripiuntur, ſed dantur, immò eijciuntur! Exercere virtutes non eſt oſtentatio: ſæpè ſolo ſitu vt aqua immota ſordeſcunt, quia omnis illarum laus in actione conſiſtit. Etſi pretioſiſſimus animi mundus, & cæli ipſius indumenta ſunt, non eſt parcendum vſui; non enim deteruntur, quoties animum induimus: immò vt aurum, ſplēdent ex vſu. Quidam ita delicatas, pueriles dixiſſe debui, habent, vt leui oris halitu ſcoriam contrahant;

ita

ita leues, vt digito moueri possint; ita subtiles, & teneras, vt telis aranearum faciliùs rumpantur. Facillimum est intelligere, quid sit virtutis solidum, cùm vel in solo colore, tantum est pretium. Omnia humana summum in vsu periculum habent, & rarum est, quo tantùm vti, non etiam abuti possimus. quo vitam tuemur ferro, quid melius? alienam per summum scelus eripit, quid crudelius? Quid non malo vsu bonitatem amittat! etiam venenis bene vti, salubritas est; malè nutrimentis, mors præsentissima. Omnibus humanis vel vsibus, vel casibus, eminet virtus: nemo illâ vti malè potest. Nulli periculosiùs, quod aiebat Augustus, quàm qui aureo hamo piscantur. Maximè illis, qui ad Petri Piscatoris & nauem & retia pertinent, periculum est aureo hamo piscari, nisi fortè rationales pisces, cùm in sinu pauperum miseratio deponitur. Scio contemptu honoris, contemni virtutes: sed ab ijs, qui nihil in ipsa virtute honoris esse arbitrantur. at tantum est, vt honor ipse reuerentiâ dignus esse non possit, nisi virtutis filius sit, vel Pater. Afferendæ non offerendæ virtutes, in campum ambitûs; nec ad licitationem deponendæ, quod fieri solet ab ementibus. nam plerumque fieri videmus, desiderari postea virtutes, quas ad nundinas attulerant, scilicet pretium Honoris. Paupertatis summum indicium est, numerare virtutes. ibi summæ opes, vbi ne vna quidē ab eo qui habet omnes, esse existimatur: ô ingenium virtutis! nullam dicere, habere omnes, nunquam est mendacium! verè nullibi aliàs, cùm hîc etiam virtute malè vti non possumus. illi, qui se habere virtutes iactant, mentiuntur; si quis maximè neget, cùm adsunt, nunquam! Veritati imponit! nimirum aliter virtus loqui de se ignorat, nisi silentio. & frustra loqueretur, vbi eloquentiæ partes, ipsa opera & actiones sibi vendicârunt. Certè vna tolerantia iniuriarum, cùm maximè silet, loquitur se esse; cùm maximè nihil agere videtur, negotiosum habet otium. Tvæ Illvstrissime Princeps partes egregiè à Te sunt impletæ: nunquam Tuas virtutes nisi exercendo commendâsti: nunquam ita exercuisti, vt fructum alium, & præmium, præter virtutis incrementum quæreres. Nostrum est mirari: quanquam illud etiam ad Te pertinere videtur, vt permittas percensere. vereor ne succenseas, rationes animi Tui computari, vel, si irasci non soles, discas primùm feliciter in panegyri. Quidquid egeris, mouere non poteris Te, sine virtutis vestigio. & irascêris sine indignatione, & dabis quod merui stipendium. Ego verò felicem me existimauero reum, Tuis virtutibus vapulare: Te nouum vindicium, Tuas iniurias non nisi alieno beneficio vindicare. Solent futuræ sanctitatis omina præferri, cùm adhuc infantes intra Ma-

trum

trum viſcera feruntur. Totius orbis Eccleſiaſtes Dominicus in vtero Matris, ad Reuelationem & Lumen gentium facem præferebat. quot alij? quæ? In Te, vt initia ita & indicia ſanctitatis illuſtria fuerunt. adhuc Te orbis non vidit, et iam iſti Maioris Poloniæ Vrbi deſtinabaris. Nondum flebas, & iam aures Maternas circumſonabas. Tum iam Tibi fieri licebat tanquam æs ſonans, quia futurus eras aliquando aurum optimum. Mater pientiſſima omnes cæli Zephyros attentiſſima cogitatione obſeruabat, & mox concentum cæli ſibi audire viſa eſt, ac Tibi Genethliam non Aſtronomiæ, ſed DEI ipſius oraculo parari. Deſtinabaris Eccleſiæ Catholicæ ſolidum & ſonorum æs; non ſolùm ſonitu vocis, ſed etiam ſoliditate virtutis. Dormire hominum eſt, vel maximè tum, cùm inimicus homo parat ſuperſeminare Zizania; Pontifex ex hominibus aſſumptus excutiat veternum, maneat in excubijs, vt, ſi quid fraudis, quid inſidiarum eſt, cauere poſſit. Nubes iſtæ, vt Diuus Iacobus ait, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, maximè ſibi timent, ab ære, an ore? Pontificio. Stymphalidas aues ſonitu ærei crepitaculi, quod à Minerua acceperat Hercules, exegit inde, vbi maximè in humanas carnes graſſabantur. Vt tonitrui ſtrepitus, coruſcationesqué fulgurum, ferre difficulter poſſumus; ita ſonitum Veſtrum, dum fulminatis, Hæreſes non patiuntur. Scio Doctorem gentium Æs ſonans, & Cymbalum tinniens, inter Symbola veræ pietatis non reponere: neque ego, ſi abſqué charitate quis ſonet. Illæ quæ in turribus tẽplorum appenduntur campanæ, viſcera collidere debent vt audiantur, & corde loqui. Perſuadent illæ matutinas vigilias, noctes inſomnes, adgeniculationes frequentes; & licèt minimè gloriam DEI furentur, pendent tamen. Alia eſt Pontificum & Æris analogia. Parum eſt excoctum eſſe igne diuini amoris, conflari in ſolidum perfectionis; opus & ſonare. Paſtor mutus peior eſt lupo; niſi vocem audierint oues, ipſa veritate teſte, ignorant ſe habere Paſtorem. Monebatur Genitrix Pientiſſima transferre æs illud ſolidum in Maiorem Poloniam, ne quid veneficia nocerent. Veniſti ad nos, non veneficia fugiens, ſed perſequens. mutâſti ſcenam in melius, deſeris ibi corporum, vt hic perdas veneficos animorũ. Audiuimus multos ex intimo animi ſenſu verè liberè exclamantes, Talis decebat nobis eſſet Pontifex Sanctus. Ego, etſi è collegio Augurum non ſum, tamen quia optimarum auium augurium (Aquilas intelligi volo in hac præſertim ad Nidum vicinia) habes, Pietatem Virtutesq; Tuas, hoc ære, hoc ſonitu indicari puto. Quàm bene Horologium vitæ vniuerſæ ordinaturus eſſes, quàm nulla hora, nullũ momentum, ſine recto curſu; ex hoc ære intelligo. plurimi non æquis

horas

horis diem vitæ metiuntur; longæ quibusdam sunt confabulationum, conuiuiorũ, voluptatum: Orationum, honestorum studiorum, admodum curtæ, pluribus nullæ: horæ somni quàm longæ? immò omnes! quid enim tot hominum studia nisi somnia? tantùm spes, nihil rei! excitari oportet frequentiùs, & obseruare non magìs pulsum cordis, quàm temporis. Excitatore & admonitore opus est; dies vitæ nostræ momenta quædam sunt, tota ætas vnius horæ spatio vix digna, si cum eo, quod otiosum præterit, comparetur. Tv ILLVSTRISSIME PRINCEPS, ab ineunte ætate tempus obseruare discebas; cogitabas momento æternitatem constare, ita ex vno puncto circumferentiam immortalitatis depingebas, vel malæ, vel bonæ. Adolescentiæ inijciebas simul & tempori frenum, & tamen illa tam citò, illud adeò tardè currebat, vt cùm non plus septem annos numerares, ad mores virorum excurreris, in flore & vere ætatis, fructus autumnales præbueris. Erat Tibi consuetudo cum Adolescentibus tædiosa, quos in contentione virtutis superaueras: Grauiores, quos iam assecutus eras, etsi verebaris, eorum tamen consuetudinem, quorum naturam induceras, magìs quàm Ephœborum sectabaris. Scio Adolescentiæ feruore, excusari multa, multa ætatis priuilegio permitti. iocos alij, & fescenninos liberiùs spargunt, & quasi è Lycurgi Lacedæmone essent, non è Christi Regno, cùm maximè mordent, caninos deterere videntur, teneros probare vnguiculos, cùm lacerant. Nemo Adolescentiam malè tractauit, nisi qui in toga virili, latum nimis clauum accepit, arctam oportet esse prætextam. In vinculis nascimur, non DEI tantùm, sed Matrum & nutricum mancipia. ætas hæc inter incudem & malleum sit oportet, vt formam virtutis accipiat: alioquin rudis indigestaqué moles. Erat Tibi ILLVSTRISSIME PRINCEPS Materna educatio, sanctissimorum officina morum; gloriari potes cum Basilio Cappadociæ Sanctissimo Antistite, vt ille solebat de sua Avia Macrina, & Illustrissima Tua Genitrix de Te, vt Macrina de Basilio. Ita Matres dum probitatem docent Filios, regna parant; dum regna adhuc in cunis meditantur, vitam amittunt. Etiamné vna hodie cum Agrippina dicit: Occidat me, & regnet! Quàm paucæ cum Blanca Ludouicos suos à peccatis dehortantur! Quàm verè ipsa Veritas; Beatæ steriles! Aurea secula fuisse, Matrum optimarum gloria erat; ferrea nunc, hoc est pessima, Matrum negligentia. cum lacte sceleribus Maternis nutriuntur, nequitiam, meliùs adhuc digerunt. Adeò parum est vitam cum brutis communem dedisse, nisi etiam ea detur, quâ ad DEVM & Angelos accedimus: illud primum necessitatem moriendi affert, hoc facit vitam beatam. Gratiam à Filijs quos malè edu-

cant

cant Parentes fruſtra ſperant: quod communis beneficij erat, ſingulari maleficio corruperunt. ſæpè manus filiorum contra Parentes armantur, quia Parentibus inermes erant: quisquis virgas illis præfert, videbit in virtutis regno Conſulares. Tibi ILLVSTRISSIME PRINCEPS Illuſtriſſimorum Parentum exempla, virtutis diſciplina erant. quidquid vbique religionis erga ſacra diſperſum, Domi Tuæ collectum videbas. Nihil Parentibus Illuſtriſſimis religioſius, nihil totâ Aulâ ſanctius. Templum dici poterat Domus Principis, Tu ipſe maieſtate vultûs, verecundiâ oculorum, docebas modeſtiam, & Domi Paternæ non accipiebas modò præcepta viuendi, ſed dabas. In ea ætate cui velle libenter vtilia diſcere, ſumma laus eſt: non venationis, iaculationis ſtudio, Equitationis ſtadio impendebas, celerrimas horas: ſed frenabas longis orationibus. quod ſi quæ remiſſio concedebatur animo & corpori, erat illa, quâ magìs pietas erga ſuperos intenderetur: ſcilicet dum ex animi Tui templo transferebas imagines, & in diffluenti erga ſuperos pectore, molliebas Ceras, ac parietibus Oratorij Tui appendebas. ordinabantur libri, componebantur chartæ, conciliabaturqué à longè ſumma, quam quæreres poſtea, eruditio. Maximè iuuenum ſtudia animi propenſiones interpretantur, ipſa conſuetudine & vſu quotidiano prædicunt, & prædicant, quid in ætate prouectiori animi, quid amoris habituri ſint. Errauerit vtcunque Antiquitas, in illo Romanorum Imperatore, qui inter Tympana natus, inter Scyphos vixit: Achilles, totque alij fidem aſtruunt. Quid ſpei de Te non accendiſti, tam illuſtri pietate? cum multa multis venirent in mentem, prima omnibus intrudebat ſe ſanctitas, & innocentia vitæ. Iam tum quoties nomina Tua CASIMIRI, FLORIANI, audiebas, intelligebas non caſu ita Te appellatum eſſe, ſed fato quodam: vt non vmbra in Te ſola nominis eſſet, ſed cum titulo res ipſa virtutis. Ita Tu exercebas ingenium, vt exiſtimares non poſſe FLORIANVM dici, qui flores virtutum, ipſum immò virtutum florem Innocentiam decoqueret. non benè appellari CASIMIRVM, qui nollet, eodem caſu, in eadem cauſa occumbere. E Tuo Equite cæleſtis iſte triumphator deſcendit; patieris Curſum reuera Olympicum à me deſcribi, cuius tenes veſtigia: dabo imaginem animi Tui; & vt quis ſis appareas, ad hoc ſpeculum Te opponam. Regna duo, vel auri, vel virorum feracia, ne amitteret, reliquit. quid duo dixi? poſtquam illud quod fortium virorum ager eſt, reliquit, orbem mihi reliquiſſe viſus eſt, ſpolium fortiorum. ſumma hieme pedibus nudis, ſolo feruore orandi, recreabat algentes artus; propinquiſſimum corpori cilicium, longè voluptatem remouebat:

ſomnum

somnum, vbi secura castitas dormire solet, humi capiebat. his studijs occupatum morbus inuadit. Lamentantur Parentes, mærent regna, sceptra nutant, circumstant medicorum turbæ. facillimum medicamentum suadent, licitam voluptatem. Graue, ait, medicamentum cui virginitas leuis est. sanus esse, potiori parte mei mortua, non possum. meliores mihi nuptiæ cum innocentia vitæ, indissolubile vinculum, aut morte, aut tædio. Idem ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS es in multis; esses in omnibus, si Te, quæ illum circumstarent. Inuictissimi Martyris FLORIANI nomen, florem in Te suum & odorem habet. Aquis ille Fidei ac Religionis causâ perijt, & ignibus medetur. nomen suum vltro Aquilino in causis Christianorum præsidi, detulit, quâ constantiâ! in Anasso flumine demersus, animâ ad cælum transmissâ, mergi corpore non potuit. aderant victorioso cadaueri custodes Aquilæ. vnam ex illis Sarmaticam credo fuisse, & Polonum Castorem iam tum demeruisse, vt non grauatè ad auxilia Polonorum Manu se duci permitteret. Turpissima assentatio est Theodoros, Christophoros, qui Misothei, Christomomi sunt, appellari. Prima Adolescentiæ rudimenta sunt, concordare nomina cum rebus, & ita viuere, ne faciant in quauis appellatione, mentiri omnes. Quælibet ætas habet suam in virtute classem. etsi omnes omnibus communes esse decet, cuique sua est singularis. virilem togam, Iustitia, Fortitudo ornant: viuere sine iniuria, commodare se amicis, tueri Religionem, Patriam, prospicere Familiæ. Senectutis est, fugere odia, contentiones, minimè auaram, luxuriosam esse. valere consilio, impendere se amicorum vsibus, prospicere ne quid Religio, Respub. detrimenti patiatur. Adolescentiam verecundia ornat; assurgere maioribus natu, reuereri omnes, etiam vestigium dedecoris fugere, suffundi si quid casu in aures vel oculos incidat, nihil loqui, sed ne cogitare, cuius pudeat. reliqua omnia decora Iuuentutis & Adolescentiæ sunt; quæ Tu magis ostẽdere exercendo poteras, quàm ego percensere numerando. Maximum est non errare in biuio, quale in Adolescentia! tot viæ, quot vires, tot semitæ, quot voluntates, tot gradus, quot antiquiorum exempla. adeò in ipso limine viæ & vitæ humanæ deuiârunt multi, vt terminum infelicissimum haberent. nesciunt vitare pessima diuersoria, sæpè in Circen, in Sirenes incidunt: infelicissimo Vlysse magis miseri. Quæ illa naufragia! videmus è portu. quod miserrimum est, venena sua condiunt, vt faciliùs bibant: sed vtcunque condimentum culpæ fiat, pœna semper amara. Ex ortu matutino solis, totius diei auguria sumuntur, totius vitæ è pueritia. solus Nero experientias nostras

suo

ſuo exemplo crudeliſſimè trucidauit, adoleſcens nihil ſcire videbatur, quod crudum eſſet: in imperio omnis humanitatis oblitus, fuit in Matre plus quam bellua. Maiores noſtri quàm religioſi in formanda Adoleſcentia, nominibus filiorum loquebantur, Stanislais, Strzezyslauis, Voytechis, Bogdanis. diuina erant, vel DEI. ſæpè Tibi diuiniſſimi CASIMIRI veniebat in mentem, non tantum de ſanguine, quantum de virtute ſtudium: pulchrumq; videbatur, non recedere ab eo imitatione, à quo genere non aberas. Nunc Auguſtiſſimæ DEI Genetricis ſub ſignis merebaris, in cuius ille laudibus emeritus, orbem vniuerſum ſanctiſſimum pæana edocuit; decurrebas Omni Die, ipſius æternitatis penſum, & in nullo feliciùs exercebas ingenium argumento, quàm in eo, vnde VERBVM ÆTERNVM amplificationem ſuam in carne accepit. Inter ſtudia literarum, magis eminebat contentio virtutis; magna Nomina, Principis, Iagellonici ſanguinis, purpuræ, infra Mancipium cælorum Reginæ ponebantur. Etſi modeſtiſſima virtus eſt, conſuetudinem cum Principibus affectat, quoties inter mediocres eſt, gratiam quam dedit, non recipit. in Principum accepta penetralia, præter delicias, habet gratitudinem. ornat & ornatur Ceris, immò aureas facit. aliàs diuturnitate ſua diffluunt ſine recenti virtute. Ordo præpoſterus effundi in parietes & tecta, conſumere opes in vna, quàm non audiemus, fama poſterorum. Præſentia, noſtra ſunt. Nemo meliùs æternitati prouidit, quàm qui hodie moriturus vixit. extendere vitam poſthumâ gloriâ, idem eſt, quod monumentum illuſtre poſuiſſe cadaueri. Nulli minus de bona fama habent, quàm qui eam in ore hominum ſeruant. lingunt dum viuimus, ſpuunt in Cineres. metiri gloriam immortalē vnâ hominū memoriâ quis velis? Tenaciores ſumus eorū, qui Capitolium, qui Romam, incenderunt. ita omne dum ruit, præcipitio facit ſonitum, dum ſurgit ſilentiū eſt. Præter virtutē nihil ad immortalitatem ſolidum. Non eſt gloria, cuius eos pudet, qui eam poſt mortem ſentiunt. Nec ideo felices Alexandri qui orbem vicerunt, gemunt ſub illius ruina! Nunquam concuſſus eſt orbis abſque eorum, qui motum in terra faciunt damno; exercitium virtutis innoxium eſt. Nolebas ILLVSTRISSIME PRINCEPS à teneris illam gloriam, quam cum alio diuidere deberes. Rei militaris ſtudia magna & præclara; flectere Equum, vibrare iacula, ſpargere tela, declinare, infligere vulnera: ars eſt Religioni, Patriæ vtiliſſima: habet neſcio quid calamitatis in exercitio. gloria hæc ſine aſperſione pulueris non eſt; & arena ſine Cineribus: cùm palmam quærimus, cupreſſus datur. Murales, obſidionales, Ciuicas coronas, capiti dum ſperamus, caput amittimus. omnes ſpes, ſuffocat ſpes ipſa!

Miſe-

Miserum est eam quærere gloriam, in qua vitam securè seruare non licet. Nolim tamen studia honestissimæ contentionis Ordinis Equestris morari, nolim hebetare & obtundere aciem ferri. limandus immò ensis, procurrendum in aciem; hoc Patriæ præsidium, hoc Ciuium decus est. Quæ meliora vulnera, quàm è quibus Religioni, Reipub. incolumitas vna cum sanguine promanauit? Tamen si de palma studia literarum cum armis contendant, faciliùs vicerint calami quàm ferrum, scholæ quàm castra, Minerua quàm Gradiuus. Ita quotquot scuto Persei tegimur, quotquot noctuas Mineruæ sequimur, vel vi, vel deditione expugnare possumus etiam Peltatos, fugare Triarios, frangere Ancilia, capere Aquilas. Quod si mediam se virtus & continentia vitæ dederit, vincit vtrâqué, triumphat. Quidquid gloriæ non è virtutis partu, adoleuerit, vitio suæ originis consenescet. fama res equidè præclara; dicitur! esse quis credat? non velox tantùm malum sed immortale; commune præmium bonis & malis. vt è forma vultûs, vix mores cognoscimus, ita ex ista vitam velle pendere, eorum est, qui solâ formâ amicitias parant, aut quærunt. vt maximè prostitutæ mulieres elegantiâ vultûs, sic ferè non optimi, famæ lenocinantur; sed quibus vita voluptati fuit, erit fama oneri. Nullibi peiùs laudes deponuntur, quàm in ore hominum vbi mendacia nidum habent. in vtramque partem suspicio est, vel creuisse, vel deperiisse aliquid. Panegyrici nostri vtcunque nunc per ora & oculos hominum volitent, terantur, legantur; non priùs immortalitati & æternitati consecrabuntur, nisi ÆTERNA SAPIENTIA viderit, & edi posse permiserit. quot Plinij? Mamerci? tot alij, inter libros famosos, & prohibitos numerabantur? dum errare licèt, non solùm veniam, sed aliquando præmia habent errores: tum vnius Veritatis stylus erit, nec quidquam tota æternitate legetur cum plausu, quod ita factum non est, vt perennaret. Nihil magis quàm illorum laudes malè olent, quorum vita sordet. in vno duplex crimen, dicti & facti. Lucius Sylla Panegyristæ suo irasci maluit, quàm gratus esse: monebat plus se sapientis silentio laudatum iri, quàm stulti Oratoris, vel stylo, vel voce. Etiam Traianum videbit orbis oppilantem os Plinij, cùm ille Panegyricorum nostrorum LIBER in vniuscuiusque conscientia impressus aperietur. Ego non metuo ibi Palinodiam, quòd Tuas Illustrissime Princeps laudes non ab atramento mutuo, sed è Tua conscientia transcribo. Non metuo hìc errores, nisi fortè emendare adhuc ea in melius velis, quæ hactenus bene fecisti. Nullibi meliùs exercuisti virtutem, quàm extra limina vel Domûs, vel Regni. Credo ideò non ita Te eluxisse Domi, quòd vbique summum lumen virtutum ILLVSTRIS-

SIMORVM PARENTVM esset: exstinguebant maiora astra, lucem Tuam. alia alibi inuenisti. Eminebat inter coætaneos morum maturitas, inter proteruos ingenuitas, inter petulantes modestia, inter irreuerentes religio. Parum dixi: inter bonos optimus, inter modestos integerrimus, apparebas. Ad scholam ferebas tecum Adolescentiæ magistram, Pueritiæ frenum, Iuuentutis censorem, Modestiam. Auribus Tuis verecundissimis tenebas petulantium ora; vultu modestissimo, suspendebas procacium oculos, & maximè tenebas alienas manus, cùm Tuas decentissimè componebas. Lex erat & regula condiscipulorum, quidquid egisses, tantumq; & discendo, & docendo profecisti, vt inter elementa literarum, Christianæ pietatis teneres summam. futurus aliquando Iuris vtriusque, Humani scilicet & Diuini Doctor; humanissima consuetudine diuinos faciebas condiscipulos, vel certè diuinitate morum Tuorum, more hominum viuere docebas. Adolescentiæ est proficere in studio literarum, errando discere, antequam correctè loquatur, corrigi. debet priùs verba componere, non statim ad summa evolare: niti tamen. Virtus in illis sine errore sit oportet. delinquere contra innocentiam vitæ & morum, totius vitæ error est grauissimus. in fonte lutum fecit, quisquis Adolescentiam maculauit. ita cùm minimum pueri de literis nôrunt, innocentiam vitæ etiam senes docere debêt, & castigare in alijs errores vitæ, cùm sua errata vel calami, vel linguæ puniuntur. Ita tum ILLVSTRISSIME PRINCEPS siue studia condiscipulorum ad æmulationem, siue Præceptorum cogitationes de Te excitabas; vt isti multa assequerentur, hi omnia quæ nunc in Te videmus, & quorum adhuc pars magna in thesauro cordis latet, vaticinarentur. Alijs alia, bonarum auium auguria erant: illis lituum ego darem, qui ex ea, quam semper prætereferebas erga Sacerdotium propensione, summum in Te religionis studium futurum spondebant. Quid Te à focis ad altaria, à Penatibus ad aras euocaret, non erat, nisi summa Religio. alii ex fumo ad Basilicas fugiunt, ab vno sulco, ad latifundia. hos angustia domi, foras extrudit, spes magnæ vocant: nec tam vsus, quàm fructus Sacerdotij quæritur. Cùm enim tam pretiosa sunt altarium stipendia, facillimè tenuiores mereri incipiunt spe lucri. At in exercitio virtutis mercedem quærere stulti est mercatoris, & maximè indigni, quas ambit, dignitatibus. dare ad vsuram virtutes, & quæstum pietate facere, hypothecare bonos mores; ille est contractus, qui societatem cum Deo non habet. Tibi vna Sacerdotij illecebra erat, bonum esse. Iam ad focos Illustrissimæ Familiæ habebas, quod multi ab aris accipiunt. Immò tot Ceris illustrâsti altaria, exornâsti tot imaginibus templa. Ecclesia DEI etsi

verecundissima est Sponsa, nunquam feliciùs nupsit, quàm dum sibi sponsos deligebat. Datur hæc venia optimæ & sanctissimæ virgini, simul & Parenti, nubere cui velit. Quod hodie videmus, non est consuetudo antiqua, sed noua; quia frequens, habet auctoritatem ex vsu. Absit, quod fieri videmus inter hominum connubia, quæri dotem, numerari patrimonium, sperare hereditatem. asinæ, isti si aureas aures haberet, credo nuberent. Sponsos Ecclesia DEI quærit, non Procos; etsi diues est, placere se magis optat sua Origine, hoc est Christi sanguine, quàm pauperum Patrimonio. In Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS spectabamus studia multarum Poloniæ Ecclesiarum. Aliæ sperabant, timebant aliæ: quædam optabant, ascendere altiùs quosdam, vt Tibi gradus esset. Nostra Posnaniensis Cathedra, in vberrimo sapientum Parochorum solo, Doctorem doctis spondebat, promittebat Theologis Aquinatem, Philosophis Aristotelem, Oratoribus Tullium, Legisperitis Iustinianum. Quæ vota! quæ voces! Credo SERENISSIMVM Regem nostrum, cùm Te tacitus isti Cathedræ designasset, inter lætas populi acclamationes, fructum sui iudicij tulisse singularem: illum se Pontificem in animo habuisse, qui etiam in ore omnium erat. Quis erat plausus? quæ gratulationes? cùm Principis nobis veniebat in mentem, gratulabamur Honori; cum sapientiæ, minabamur erroribus; cùm Virtutis, nobis & Cathedræ Posnaniensi, omnia felicia promittebamus. Redire vno & altero passu debeo, & vestigia virtutum in Cracouiensi Capitulo relicta venerari. Scio Te hic ita vixisse, vt vitæ regulam viuendo feceris, ita in illo virtutem amplissimo exercuisse theatro, vt licèt nolles dimanare virtutes ad vnum, omnibus visæ sint: facillimū enim erat inuenire vestigium CVRSVS Tui, in niue animi: nuda veritas & candor cùm in animo est, in hac crystallo quidlibet videtur, & maximè apparent, qui se in Modestia abscondunt. Habent Illustrissime Princeps, Virtutes inter se constantem amicitiam, Thesea semper fide viuitur. licèt plurimæ sint, facilè ibi locum habent omnes, vbi vnica sedem fixerit. non est contentio inter hasce germanas, aut de dote, aut de forma, non inuident inuicem amores, vnius, omnium est: à sua Matre hereditatem acceperunt non diuisam, in vno eodemquè fundo, omnes & seminant, & metunt. Religio sanctissima, omnium Mater, vbicunque pedem fixerit, statim & nidum ponit virtutum. Sciebas ILLVSTRISSIME PRINCEPS, natiuo Charites istas discernere pulchro. multi exercent ita virtutes, vt somnia; satis est illis actiones virtutis agere, sine sensu & gustu virtutis. vt morbidi optimos cibos comedunt potiùs quàm gustant. Erat Tibi Schola cordis ad proficiendum

in vir-

in virtute, plus de Habitu, minus de Actione commodi habere volebas. Non auidum tantùm, sed auarum etiam hic esse oportet; non est in fastidio, nisi parua, maxima esse ex summa fame colligitur. sterilem in Te fuisse virtutum notitiam non crediderim: quia malorum est, sola speculatio. Existimo ideo pretia virtutum nosse Te voluisse, vt thesaurum animi Tui, pretiosissima merce cumulares. erant in vna omnes. Theologiæ Tuæ summam in Trinitate Theologicarum virtutum deposuisti; tota Ethica in moralibus erat. Ab Aris locupletissimum pro me habeo testimonium, ne quid, nimis propensæ dari quispiam putet beneuolentiæ: amicissimum me hic esse profiteor, vbi Tu sanctissimus es. Quæ illa? quàm frequens ad aras victima? quæ manus quotidiano sacrificio cruentæ? etsi hæc magna virtus est, non est magnorum. alij vilitatem suam, alij secularia negotia prætendunt: omnes superfluitatem. Pretium scilicet istius victimæ à raritate pendunt! Veniâ digni quod excusent, nescio quomodo excusandi, quòd veniæ locum fecerint. Maximus hic error est, accessum fugâ facere: longiùs ita abimus. qui sæpè contemnunt, nunquam sunt digni. vsus sacrificij maximè probat Sacerdotes, cætera sunt cùm vulgo communia. Docuisti vniuersam Poloniam non alium Panem, quàm Angelorum desiderâsse Te, dum sacris initiareris; cùm in tanta illius satietate magis fameas. Credo, illos quorum beneficio Posnaniensis Cathedra erecta & dotata est, multis apud DEVM Optimum Maximum egisse, vt Pontifex legereris, à quo tanta præsidia è quotidianis sacrificijs sperabant. Omnia Te pro DEI gloria, Ecclesiæ vtilitate, Patriæ commodo, facturum speramus, cùm in manibus tam crebrò habeas Cæli pignus, DEI vnigenitum. Angelorum & Hominum delicias. Profundiùs inclinabimus capita nostra, cùm Tu ista manu, quâ Benedictum Domini tractâsti, frequentiùs nobis bene precaberis: reuerentiùs osculabimur illam dexteram, quam toties in Rege Regum salutando exporrigis. Iam illi qui Tuis manibus ad sacra mancipabuntur Altaria, felices ac beatos se putant, tali Pontifice; à quo non solùm characterem ordinis, sed formam virtutis accipient. Cùm primùm felicissimus Nuntius Tui Pontificatus Posnaniam circumsonuit, omnium in Te studia, non primùm nata, sed excitata sunt. illi suspiciebant Illustrissimum Antiquissimæ Familiæ Genus, isti sapientiam prædicabant, omnes amabant virtutem. illa Te Magnum, Admirandum, hæc Carum omnibus faciebat. Maiestas Generis tenebat verecundos Equites, Sapientia morabatur parum doctos, Virtus omnes trahebat. Nemo vnus erat qui aliquam non narraret, aut à se visam, aut indubitato testimonio confirmatam. Hi Mansuetudinem, illi Modestiam, hi

Affabi-

Affabilitatem, Comitatem morum, alij alia, omnes omnia. Vnum omnibus dolebat, tam Regium, tam Doctum, tam Sanctum Principem, non in Maiori Polonia natum esse, aut ibi Maiorem Poloniam non esse, vbi tanti Principes nascerentur. Diffluere aliquis putabit Eloquentiæ laciniam in campo TVÆ Virtutis, & naufragari Oratorem in Oceano rectè factorum. dicam simplicissimas & verissimas laudes. Lætitiæ de Tuo Pontificatu scenam maximè Tui subditi instruxerunt, & si quis Ædilis esset, ludos credo facerent. Rara Dominorum felicitas diligi à subditis, magis rara subditorum virtus, diligere. etsi vel illud Dominis, vel hoc subditis vtilius est, tamen nescio quomodò, magis honestum putari, timeri quàm amari. ita nulla Maiestas sine tremore est, quamuis magis secura esse posset, cum reuerentia. Malus omnino diuturnitatis custos metus, & facillimum est odia gigni in nido timoris. Breuissimi sunt metus, Amor æternus. etsi vterque alas habet, ille vt fugiat, iste vt sequatur. Obsidem amoris Tuorum subditorum habes Tuam Virtutem, Sanctitatem. Nec Tibi sine istis viuere licèt, nec illis sine Tui amore. Quo stylo illorum lætitiæ stylum, qua arte illorum naturam, quo atramento illorum lacrymas lætitiæ indices, describam? pollicebantur omnes ea quorum nondum experientiam habebant. omnium erat eadem vox, necessitati tantùm seruituros se, sui Pontificis. Nihil votis illorum deerat, nisi quod & nostris, Tu scilicet Princeps Illustrissime. Extremum esto Virtutis magnæ testimonium. Tuæ Diœcesis etsi lacera & mutila templa, debilitate tamen sua firmissimum faciunt argumentum. Nihil est Illustrissime Princeps, quod te vehementiùs afficiet totâ Pontificiæ Dignitatis sphærâ, quàm non pauca viduata, non Sacerdotibus tantùm, sed & tectis ecclesiasticaqué supellectili templa. Quia frequentissimæ istic Ecclesiæ sunt, multas esse oportet infirmas: quia plures sine bona dote, ideo viduæ. etsi optimus es, non eris tamen tam bonus, vt hic indulgere velis, vel Hæreticis, vel heredibus. Quot Ecclesiæ? inclinatis non Turribus tantùm, sed Parietibus, annuunt vt venias? quot apertis ostijs hiant & aspirant? substernunt se limina Tuis pedibus, & lucem Tuam angulorum tenebræ exspectant. Autumare incipimus quid Te præsente futurum sit, cùm etsi adhuc in via es, omnia in melius mutata intuemur. Tua virtus publica est, scire multis prodesse. Innocentia vitæ, sanctitas morum, faciant Pontifices sanctos; magistratus integer, iudicia sancta, ostendunt: priuata illa bona sunt, hæc publica. Ac vt nemo oculum vel manum peruersa esse velit, ne ille lasciuiâ, hæc rapinâ hominem totum dedecoret: ita Principum est, tales oculos & manus magistratuum facere, ne quidè vitio isto-

 rum,

rum, cæcitatis in illis fuiſſe arguatur. Dicerem ego Illuſtriſſime Princeps experientias noſtras, & Tuo teſtimonio facerem virtuti Tuæ auctoritatem: ſed quia domi noſtræ hæc feciſti, nolim extra limen, quod pretioſiſſimum in noſtra recordatione eſt, efferre. Illa Tua Humanitas, conſuetudo cum mediocribus, à ſumma Tua Virtute promanauit. Non erat quo extorquerent talia, quæ vix ſperari poterant: multi paruitate ſua, & ſuâ vmbrâ album Tuæ amicitiæ excuſabant. illorum erat obſequi, facere iuſſa: Tuum, circumferre Principem inter poſtremos, lucere inter vmbras. non erant tanti, cum quibus in contentionem beneficiorum venire deberes, ſola profeſſione debiti tantum reſtituebant. Et expugnarent hæc alium, Tecum pugnabant, vt diſſimularę deberent, ne Tu humanitate magis ſuperares.

ÆTerna tardis Carmina ſeculis
Committo Vates. Diſcite gloriam
Virtute mercari; voraces
Quod reliquum rapuêre Lunæ.
Cælo reuulſis ſurgere collibus
Sublimiorem, ſurgere vallibus
Exaggeratis, vel caducis
Montibus, occubitu vel orbis,
Proſtare ſummum; conſtitit arduo
Vtcunq; niſu; non perit arduo!
Decliuis à ſummo labandi eſt
Semita, præcipitesquè caſus.
Quisquis ruinâ ſurgit, hic occidet
Rurſus ruinâ, mole ſua nimis,
Et mole bellorum trophæa, &
Strage ſuâ periêre Reges.
Quisquamnè magnus caſibus? ô! leues
Æternittatis perpetis ambitus!
Fruſtra vel Audaces vocari,
Vel Populo meruêre magni!
Quicunque paruum, reddidit integro
Ex orbe Mundum, nec quibus imperet
Ciues reliquit, ſed Tyranni,
Colla tulit malè victa, ferro:
E Rege ſeruum fecerit ipſe ſe.
Regnare ſtultè cùm volumus, perit
Pars magna Regni! pro beatos
Eſſe Duces ſine prole vulgi!

Mer-

Mergetur, alto sanguine quod natat;
Semperque puppis naufraga Martis est.
Deest cruoris cùm charibdys,
In lacrymis noua scylla fiet
Orbis perempti! quot scopulis, mare
Infame laudis! monstra quot occupant,
Circesque Syrenesq; quot? quot
Cœca tenet Polyphemus antra!
Non deterendis splendet honoribus,
Quodcunque sacro prodiderit satu,
Diuina VIRTVS; nec cadenti
Protinus immorietur æuo.
Inuicta firmo cardine voluitur
VIRTVTIS ingens porta; vel ærei
Postes, seræqué, ferreiqué,
Claustra tenent adamante vectes.
Non qui supino de Capitolio
Fecit triumphum: fregit & vrbium,
Orbisqué muros, Dardaniqué
Fraude Sinon superauit arcem:
Captâ superbum ducet inutilis
Victor triumphum. Præsidium graue
Natura donauit ferendo, aut
Marte pari, superando Martem.
Stat pro supremo culmine Turrium,
Semper verendis peruigil ignibus,
Seu nocte, clara siue luce
Relligio monitura fraudis.
Centum seueris pro foribus trahunt
Longam periclis excubiæ moram.
Pilis minantur pila, telis
Tela parant, manibusque dextras.
Olim futuros præuidet impetus
Pronœa muris. ante periculi
Molem imminentis, versat altam,
Præsidium paritura, mentem.
Obsessa circum, sustinet hosticum
Quæ fortitudo Nobilis aggerem!
Tentanda frustra vel fame, vel
Pœnè siti perimenda frustra.

Est

Est quæ ferocem frenet amicior
Alumna mentem: quæ iubet impetus
Attemperare, vultq; iustum,
Sed nimium prohibetq; parcum.
Astræa strictum vibrat acinacem,
Et lance causas discutit omnium:
Ignara vultûs, sed reorum
Sola manus benefacta pensat.
Quales? quot hærent intus Amazones?
Non indecoro viuitur otio,
Aut euolutis longa curis
Somnia, perpetuæque noctes.
Solers laboris personat omnia
Cultus: seueræ corripiunt manus
Æternitatis pensa, vitæ
Tela fluit meliore filo.
O! quisquis æuo ducere perpetem,
Desiderâsti quàm bene spiritum!
Virtutis ibis calle, quando
Non alio datur ire cliuo.

DAbis veniam ILLVSTRISSIME PRINCEPS, liberiùs coram Te comparentibus literis, quibus in animo locum dedisti. faci-lè ea hîc releges, quæ tanta contentione, totâ Italiâ colligebas; patierisque, aliquid è thesauro animi Tui, in meam necessita-tem impendi. Etsi literæ sine inuidia omnibus se impendunt, ni-hil eloquentiùs, quàm se ipsas loquuntur, honestissimumq; pu-tant cùm alijs laudes affingunt, suas veras non tacere; ne aliquid in-dulgentiâ sui delinquant, eadem, quæ calamum & manum tenet, fa-cit veritas. Nemo literis bellum indixit, nisi omni præsidio Natu-ræ destitutus pœnè inermis; Andabatarum hic more pugnatur, hoc est à cæcis, siue noctu ad lucernam, siue interdiu ad Solem. Ali-quis optabat se literas nescire; ille nimirum, qui omnis humanitatis oblitus, studia hæc in fastidio habebat; quæ, vt humanissima sunt, faciunt perhumanos. Nulla hercule adeò communis res est, vt ele-menta, sic literæ: his omnia constant, & ne aut obliuione, aut iniuriâ temporum cadant; stant, perennant. Non tantùm magistræ sunt agendorum, sed & testes; præcipiunt simul bene agere, & præclara facta posteritati commendant. Quod si à multis adulari dicantur, aut inuidere: alieno vitio laborant. Humanæ sunt, vsu & consuetudine, hominum mores induunt. quanquam rectiùs existimauerim adulari

plures

plures literis, literas nemini. vereor, ne accuſem, dum excuſo. ſed moueri illas noſtris adulationibus, non erit niſi humanitatis peccatum. Cereæ primùm erant, aureo ſeculo; liuor & inuidia locum illis fecit in ære, & marmore. ita ſiue quid bene, ſiue malè ſcriberetur, lima erat impoſſibilis. At illi qui primùm elementa ſcientiæ inuenerunt, deponebant in templis; vel daturi religionem literis templorum, vel templis literarum. Bene omnino, cùm SAPIENTIA primùm in cælo nata ſit, ſapientiæ protocolla in templis (quæ cæli quidam terreſtres ſunt) ſeruantur. Cùm ſeſe in nido ſuo continebant, Sanctiſſimæ erant: Curiarum & Fori frequētatio, vitia illis locorum affinxit: poſtquam accuſare cœperunt, meruerunt accuſari. inſtar teli eſſe dicuntur, quo repellas, & inceſſas. vtcunque, peius in eo vitium eſt qui abutitur, cùm vti deberet. Habent literæ omni exceptione maius patrocinium à SAPIENTIA. ſtylo ſuo inuidiæ liuorem expungit, vincit, triumphat. Infans eſſet ſine literis, immò muta. adeò ſapientiæ linguam configit, quisquis has pungit. DIVINA SAPIENTIA etſi VERBVM eſt, ideo literas non habet, quia non eſt VERBVM COMPOSITVM: noſtra, ferè tot partibus conſtat, quot literis. humana ſapientia ætatem habet, puer eſt in elementis, matura in libris: illis conſtat, hos parit. etſi in animo naſcitur, in libris educatur & apparet. Nemo hactenus ſapientiā profeſſus eſt, qui literas non didicerit, nemo literas didicit, qui ſapientis nomen non teneret. Illi quibus literas primas noſſe, labor ſummus erat, aut otioſus; vix elementis conſtare putabantur. Multi in quærenda ſapientia fatigantur, non heluones tantùm, ſed tineæ librorum: rodunt ſimul, & legunt libros, terunt & atterunt. ipſæ chartæ lucernam olent, miſceturque ſudore atramentum, & lacrymis. volant pennatæ manus, impalleſcunt vultus, exhauritur non magìs ſæpia, quàm vires, comburuntur noctes, ardent & lychni, & ſtudia. parua tamen eſt in ſummo diligentiæ vſu ſapientiæ vſura; tot ſtudiorum impenſis vnum illud comparatur, putari ſcire, iactare aliena, ſuos errores vendere. Putant iſti optimam eſſe vitam multum comedere, ſemper ad conuiuia ſedere, nunquam ad cœnam. vt corpus, ita & animus paucis nutritur; metiri oportet hic ſtomacho cibos, ibi ſtudia ingenio & memoria. vt faciliùs percurrantur Artes, impetu Naturæ opus eſt; vt aliquid eruditionis inueniatur, nimis celeres animi motus adhibendi. Oceanus ſapientia eſt, ſine velis & remis nauigat, ſi quis ſe abſque Naturæ præſidijs ſalo huic committit: in Euripo perpetuo erit, & cum natabit in ſudoribus, ad portum nunquam enatabit. Omnes artes habent in naturâ initia: pingere cæcis impoſſibile eſt, pugnare truncis. ſæpè aliquid hæc ſine

 arte

arte profuit, vt in brutis videmus. hæc nihil sine natura, vt in hominibus apparet. Adeò se Tibi ILLVSTRISSIME PRINCEPS benignam natura exhibuit, vt nihil negauerit ad summa studia præsidij. Genius quidam cælestis Tuum putabatur Ingenium, in inueniendo sagacissimum, acutissimum in perspiciendo, promptissimum in expromendo. non genere tantùm, sed & Ingenio inter pares Princeps eras. adeò noscebaris Exteris, vt, si cætera deessent, solo venires omnibus in mentem Ingenio. Debet multum Polonia Tibi, immò plus quàm acceperis: cumulâsti Originis beneficium nimis commune, singulari Polonorum commendatione; nasci hîc tales, quos orbis suspiciat. Venire inde in Italiam eiusmodi, qui non pedes ad saltum, sed ingenium Polonum ad Latinam eruditionem capacissimum, ferunt secum: sæpiùs nostrates, oculos & linguam ad Exteros ferunt: videre & loqui multa, summa felicitas. vtinam non cæci, & muti, ad nos redirent! Conuiuia tantùm, compotationes, ne quid peius dicam, nominant: Hospitalitatem, quam emerunt, prædicant; ignari vbique virtutem reperiri posse, cùm nummos amiseris. Quid non alij? imagines illuc, quas innocentis animi sui ferunt? quas laruas & spectra non efferunt! munire vrbes, & pudicitiam prostituere discunt, mores omnino apud Polonos peregrinos. Paucorum est non mirari aliena, sed admirationem sui facere. Polonam potiùs ingenuitatem vendere, quàm emere exotica. Ego de Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS existimo, voluisse Te reparare existimationem Generis nostri, à multis fædè laceratam. quanquam quidcunque est, quo vapulamus apud Exteros, illud erit summum, facilè nos trahi in societatem pessimorum. quodsi eum æstimaremur, cùm primùm Carpato, aut Alpibus descendimus; facilè viderent Exteri, vnde hæc, quorum accusamur, didicimus. Barbarum est, Latio quidquid extra Adriam aut Alpes latet. Maiorum nostrorum encomia hæc erant, nostra est iniuria. ideoné barbari, quia victores? ideo isti vrbani, quia victi? quodsi inhostes humanitatem exercuerunt cedendo capta vrbe; laudem merentur à se ipsis. nostra vituperia sunt, ex iure belli neglecto, quo ille tantùm vti non potest, qui victus est. Cæterùm nos Fidem tantùm ROMANAM, mores nostros seruabimus. etsi tam barbarè audimus, nunquam loquimur. Diremisti contentionem in Vrbis & Orbis facie, in Arce scientiarum, in illa ingeniorum arena, magnoq; eruditionis amphitheatro, non auditor aderas tantùm, & spectator; sed palmam etiam tulisti. Descendisti in illas sapientiæ nundinas, cum optima merce, ingenio Polono: etsi nullus alius emptor fuisset, Romanam Mineruam, Tuâ vnius comparauisses. Athenis omnino venisse videbaris, non è Polonia;

nia; à Noctuis Græcis, non ab Aquilis Sarmaticis. Quomodò occurres in Patria ingenium, præstò erat. Diuinæ humanæq; scientiæ arcana sub Polo nostro apparent, & in hoc Septemtrionali frigore, tantus calor docendi, & discendi est, vt nullibi magis capita fument. Nescio quis ex angulo mundi, Iconem animorum liuore nostro aspersit. tam angustum Poloniæ Regnum existimauit, vt Musas capere non possit, cum suo Apolline: tam pauper, vt mundum literarum pro honestissimo Gynæceo non sufficiat. meminisse debebat, pauperes istic facilè ditescere, Polonos diuites, alibi depauperari. Ingratus omnino beneficij nostri erga Genus suum: nobis quàm iniurius, qui inter nos eiusdem cum illo farinæ sunt, loquantur. Ideo Poloni parum eruditi putamur, quòd etiam locum pietati inter literas relinquamus. alij cùm omnia se scire existimant, facilè vnius obliuiscuntur Religionis. nobis, sine conscientia, ingenium exercere non licet. alij tum maximè acuti, cùm pungunt; tum industrij, cùm decipiunt, tum vrbani, cùm mordent. nullibi peiùs exercetur ingenium, quàm in mala vita. Cùm hactenus in Regno Sapientiæ quies summa esset, fecit Aquilonare cerebrum tempestatem, orbem miscuit, & studia Nationum commisit. Erat, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quo sublime Ingenium Polonia occuparet. Exercuit nuper humanioris literaturæ disciplinis, & Atticum pœnè Luceoria fecerat. At Tu, cùm inter vernaculos summus esses, quærere alibi pares optabas, plus daturus experimenti, an possent alibi Poloni docere, quàm discere. Quas tum spes Tecum extulisti? quos reliquisti Domi Illustrissimorum Parentum metus? exiuit vnà Tecum, quidquid cogitationum, sublimiorisque conceptus in animis bonorum erat, futurum Te Romæ, totâ Italiâ, vnum instar omnium. Commisit Tibi sui Polonia imaginem, vt quacunque pergeres, totius Regni Maiestatem circumferres. ille Polonus dicendus erat, qui Tibi quàm simillimus; ille Tu, cui tota Polonia non dissimilis. Ac dum Principem, cui Domi, magnæ opes, extrà, summa vel apud REGEM Serenissimum, vel apud Remp. æstimatio; quærere etiam apud literas gratiam vident; existimare incipiunt animi Te lucra tantis impensis anteferre: nec genio indulgere fortunæ, sed animi ingenio. Literas alij ad quæstum quærunt, & inter liberas artes serui sunt cupiditatum; magis soliciti de censu, quàm de sensu. hoc etiam in liberalibus disciplinis maximè liberum est, conuerti ad quoscunque vitæ vsus; & quia pretiosissima Sapientia est, omnia illius nummo comparari. Longè est à Te, quam alij in se habent, ea suspicio. Honorem Sapientiæ fecisti Principis Ingenio, recepisti è Tugurio ad Palatium, è monumentis mortuorum, inter Maio-

rum

rum Ceras; & quæ hactenus vltra tot inuolucra & cortinas in sua no-cte latebat, protraxisti ad lucem, vel Regum vel Principum: latet sub pannoso centone, etiam ad dolium cum Diogene, in Euripum cum Aristotele descendit. tota in vno Biantis libro erat: viuit nimirum ad necessitatem. licet delicatissima est, nescio quare, delicias, etsi non aspernatur, non curat tamen. Sed mihi potiùs rideri Sapientia videtur ab inurbanis, quàm iactari; nisi fortè existimat aliquis posse esse absolutum Philosophiæ cursum, sine Ethica. Personata est Philosophia, quoties inculta apparet; vbi in flore suo est, animos omnium rapit, vel formâ, vel moribus. Attulisti ILLVSTRISSIME PRINCEPS ad Sapientiam, quod alij beneficium accipiunt; vt Tu solùm amicitiam illi seruare debeas quam contraxisti, illa gratitudinem referre teneatur. Altior est sublimitate Tua, magìs Illustris in Te Illustrissimo. Stadium Palladis nemo sine æmulo, aut præmio, cucurrit. alijs satìs est tetigisse metam; plures, vbi attigerunt, cùm pedem fixerint, manus ad præmia exporrigunt. Honestissima omnino contentio in vtrisq;, sed excellere illi videntur, qui extra Sapientiam, nihil quærunt. Nam nec oneri est Sapientia, nec fastidio in his; in illis si fructum, quem sperauerint, non fecerit, magìs amara Sapientia est in vertice, quàm fuerit in radice. Excurristi facilè ante omnes, cùm nullis aliis curis distrahebas animum, nec onerabas humeros importuno exspectationum iugo. expeditus à tot multorum desiderijs, vnam in voto Sapientiam habuisti. facilè erat relinquere post se fallaciũ studiorum baiulos: & liberrima mẽte præcurrere, catenata Lucellorum mancipia. Quod illud ingenij acumen? limabas adhuc vna omnium virtutum Tuarum cote, DEI GLORIA. Iam in exercitio virtutum ita insigniter profeceras, vt nihil deesset, nisi Terminus. Omnia Tua ita composuisti, vt ordo in conscientia summus esset, nihil exerraret in verbo, vel facto. Existimâsti tamen priuatum esse, quod foris in commoda plurium non diffunderetur. Sapientiam bonum publicum esse: hinc in dubiis consilia, præsidia in aduersis, & peti, & haberi; ab ea tantum esse auctoritatis, quantum opus in summo etiam imperio. Veniebat in mentem, Ecclesiæ Catholicæ magìs obfuisse aliquando inscitiam vnius, quàm multorum malitiam. illa monebat, illa excitabat, & currenti addebat adhuc calcaria, alas volanti. Quid Patria? reuocabat Hosios, Karnkouios, Pstrokonios, Lubienios, Lipscios, Sokolouios. plena vbiq; omnia errorum, regnare Hæresim, furere Schisma: multas in Curia vel Senatûs vel Nobilitatis simultates. causam tot malorum, raram in subsellijs consiliorum sapientiam. Nam vbi nihil est, quod stulti timeant, insaniunt: frustra virtutem opponas, offen-

der

dere oportet, vulnerare, vincere. ſanctitas eſt quæ non lædit, impugnatur, non oppugnat. Sapientia armata, vel inceſſere, vel repellere par. Caput ipſum Meduſæ petit, ſine periculo venatur venenata; verberat Mercurij virga, & ſtatim hydros exarmat. Expugnauit procul dubio tot machinis facillimum in omnia honeſta animum. Iam Eccleſiæ Catholicæ præſidia, iam Patriæ incolumitatem, iam Hæreſi fulmina, Schiſmati excidium, non minabaris tantùm, ſed parabas. proludebas in puluere ſcholaſtico, ad ſolem & lucem: inter parietes & tecta, ad totius Cæli ſpectaculum. Noui animum Tuum, Generoſum illum, & ad ſumma exaggeratum; non affirmo, etiam nec ſuſpicor veniſſe Tibi in mentem ambire Pontificias Tiaras, & cum æmulis in contentionem deſcendere. Niſi fortè cùm tam ſeriò intellectum exercebas, exiſtimari potes, dignum Tiarâ caput efficere voluiſſe: ſed hoc magis facit ad ambitum Tui, quàm Tuum. Etiamné honori ſeruire volebas; maximè peregrino, cùm inquilinus non deeſſet? Nolim arguere quemquam Pontificii ambitûs, cùm Doctor gentium omnes abſoluit; ſed nemo meliùs ambiuit eo, qui ſe dignum fecit. Nummus quidam Sapientia emendis vel vendendis honoribus, ſine hac conferre Beneficium, non eſt gratia, ſed potiùs gratis dare. Sapientes eſſe non omnibus licet, etſi omnes deceat; excuſantur multi à fructu illius, quibus labor impoſſibilis eſt. & putatur in omnibus ſubditis eſſe, vbi in Principe fuerit. Humani corporis membra etſi omnia ſenſum & motum habent, iſtorumque Matrem animam, intellectio cum omnibus communis ſit, non exercetur niſi in capite; hinc in reliquum corpus prudenter agendi priuilegium deſcendit, hinc laus præclarè facti, in omnia membra. Non tot oculis, quot membris conſtamus. ſatis eſt duos eſſe, ne cæco impetu feramur. Felicis nauigationis regula penes eum eſt, qui ſedet ad clauum. Omnes portum tenent, licèt ille ſolus, quâ eundum ſit, cognoſcat. tantum eſt in Principe Sapientiam eſſe, vt in omnes ſubditos ex vno deriuetur! Quoties Pontificiæ dignitatis veniebat Tibi in mentem; excitabas ſolâ memoriâ iam in Te ardens Sapientiæ ſtudium, tantamque eruditionis penum colligebas, vt Cornu Copiæ totius Poloniæ aliquando eſſe poſſes. Exiſtimabas, Te ad mercaturam bonarum artium profectum, ne tot aurei operarum & induſtriæ ſumptus otioſi eſſent, tanti Sapientiam emiſti, quanti ſe ipſam æſtimauit; hoc eſt, labore ſummo, diligentiâ ſingulari. Quanquâ non mercari ego exiſtimauerim quempiã Sapientiam, ſed fodere theſaurum. In mercatura vnum non comparatur ſine damno alterius: in vtroque, vel in eo qui vendit, vel in eo qui emit, indigentia eſt; hinc mercium, illinc nummorum. alterutrius,

alterutrum iacturam facere opus est. In sapientiæ quæstu, etsi in nobis indigentia est, summæ in illa opes; nihil amittitur, ne tempus quidem ipsum, quod illi ipsi perdunt, qui maximè custodiunt. sumptus mensales, potiùs stipendia sunt vitæ, quàm sapientiæ: etiam illis faciendi, qui otiosi viuunt. vna hæc differentia in thesauro ac Sapientia est, quod istam nemo casu inuenerit; illum sæpè, ac ferè semper; scilicet omnia fortunæ beneficia sic constant! Cæca est, proijcit, non dat. Velle Sapientiam, prima est ad inueniendum via; quærere, secunda; illa communis omnibus, hæc compendiosa, & paucorum. illâ solâ nunquam è stultitia exceditur; quantum est de ista, tantum ad Sapientiam restat habendam. Labores Tuos ILLVSTRISSIME PRINCEPS in adeunda Sapientia, Tu ipse numerare meliùs possis, qui exhausisti. quanquam quotidianis lucris occupatus, otium non habebas in summa opum animi facultate, numerare gradus & palmos in stadio. Ego affirmare possum, in illa luce, immò totius orbis sole, Vrbe Roma, nullam Tibi horam sine linea fluxisse. illo puluere Scholastico Clepsydras omnes diligentiæ Tuæ metiebaris, & ne hæreret aqua, sudores affundebas. Incipio ab ea, quâ vtcunque à longè Te sequor, Eloquentia. quid in illo Eloquentiæ theatro, ac vt veriùs dicam, in cunis apud Eloquentiæ Parentem Tullium ageres, nisi vel exerceres, vel disceres Oratorem? non è Catilinaria, aut Philippicis, discebas fulminare in religionis hostes; sed ex illis ipsis rostris, ex illo Capitolio, vnde Tullius vt Iupiter alter audiebatur, vocem & artem fingebas. Iam pro Domo DEI, iam contra incestos Verres, contra hostes Patriæ Pisones, non arma sed fulmina, non tela sed cædem parabas. Raro exemplo, exiuisti è Latio Latinus: ex Italia Polonus. Nihil peregrinum in vernacula, nihil barbarum in Latina oratione audiebatur. Nimirum quia mores non corrupisti, etiam nullum in lingua vitium apparebat. Parum est, quòd Tullium dixi Te; inter scholas istæ laudes gratiam habent. Templa etiam faciunt Tibi plausum, cùm loqueris. Augustinos, Ambrosios, cogitabamus, cùm Te audiuimus: licèt eloquentissimè perorabas, dimissa concione, mutas retulisti laudes. non fecisti locum verbis, cùm tam feliciter res ipsas persuasisti. Interimebant in ore verba illis manibus, & pugnis, quibus pectus oppugnabant, animo à Te expugnato. flumina Eloquentiæ Tuæ, fletu & lacrymis probabantur; vt quisquis verba tum hauriret, lacrymas DEO & Superis propinaret. Multi Oratores, pœnitet quod Ecclesiastici! nullam meliorem laudem putant, quàm plausus audire. hi Theologiam & Philosophiam suam vendunt, illi experientiam rerum, peregrinationes iactant. Christianus Orator ad vitam, quæ de-

cet,

cet, verba componit, nec diſcurſu, ſed ſuo affectu motus aliorum pendentur. ſcilicet documenta vitæ optimè traducendæ, ieiunè ab eo dantur, ſi quis malè viuat. Tua Oratio remis & velis nauigat; Chria eſt miſta (vereor ne quid vile nimis dicam) & Facti & Dicti. muta Eloquentia eſt ſine Exemplis. aures verba circumſonant, illa peruadunt ad animum. in vita vt in via ſumus: hâc itur, quâ alij tranſierunt. nec faciunt verba viam, ſed oſtendunt. Inuidebamus illis, à quibus Te ſæpiſſimè audiri ſciebamus: compenſabis ſtudia & æmulationes noſtras, cùm in Pontificia maieſtate referes nobis antiqua Eccleſiæ lumina, Gregorios, Chryſoſtomos, Baſilios. hactenus quæ illa ora eſſent, cogitatione fingebamus, dabis experientiam, cùm dederis Te. Magna Tui in Cathedra Poſnanienſi exſpectatio, magna Omnium & tacita, quòd non citiùs obtigeris, ſancta tamen inuidia; non minor Reipub: totius gratulatio. Quæ decora in Arcem conſiliorum, in Senatum in Regis Sereniſſimi conſpectum non afferes? nulla conſilia capiet, niſi pro bona cauſa, nulla ſententia, niſi quam conſcientia dictauerit. nulla iudicia, niſi quorum ipſe trutinam apud Iudicum Iudicem timeas. Accuratior ibi eris, vbi publicæ ſaluti medendum. in illa Senatoriæ amplitudinis ſphæra, non erit centrum, niſi DEVS, & tota Polonia, circumferentia. Non ex communi loco, vel Malorum Temporum, vel Diſſimulationis, argumenta ducentur. Singulare erit quidquid dixeris, ita tamen commune, vt ſingulorum eſſe debuerit. Reges & Principes Philoſophari aliquis debere aiebat, vel certè Philoſophos Principatum & Regnum tenere. ipſius ſapientiæ oraculum eſt. Odioſa Nomina Philoſophorum non Philoſophia fecit, vapulauit ipſa vel moribus, vel ingenio clientum. Difficultas deterret à ſtudio illius, ſublimitas ab vſu inter mediocres. ita quò altiores creuerint Philoſophi, minùs eminent: quò ſubtiliores, minùs apparent. at ea eſt Philoſophorum ſumma felicitas, non eminere niſi inter ſummos, non apparere niſi in ſole ingeniorū. Nihil eſt ad præſidia vitæ honeſtæ commodius, nihil ad vſum magìs neceſſarium, nihil ad honeſtam animi ſiue occupationem, ſiue ferias, opportunius ſtudio Philoſophiæ. aliæ artes, & ſcientiæ, non omni tempore & loco, Philoſophia vbique & ſemper, exercetur. indigent aliæ materiâ extraneâ, inſtrumentis, officinis. multæ nundinas ad artis opera deſiderant, aliæ etſi quid ſuum vendere non habeant, vendunt ſe ipſas. Hæ ſpectatores, illæ auditores, Forum illæ, iſtæ Curiam deſiderant. inter proſpera illæ, inter aduerſa iſtæ valent. Philoſophia triſtibus & lætis, vni & multis communis eſt. Habet in ſe ipſa theatrum & ſcenas, auditorem, & plauſum. tabernas & officinas non aperit; nullum opus appendit. cùm in fre-

in frequētiam venerit, solitudinem non deserit, cùm sola est, ita manet, vt nascitur. Nihil Philosopho magis necessariū, quàm habitare secum, circumferre Domum. res prosperæ si eueniunt, abituras, scit. si abiuerint, reuocare non vult, ne rursus abeant. si aduersa ingruant, medicinā habet in pectore; si porro sanare, graue est, etiam pati leue putat. ita nullum fortunæ telum est, quòd Philosophum, etsi lædat, conficiat. Quòd si amicorum commodis prospiciendum est, nemo illo meliùs: si religioni, nemo sanctiùs: si indigentiæ, nemo celeriùs, vel cumulatiùs. Qualia Philosophiæ præcepta in animi Bibliotheca descripseris, doces, cùm facis. Omnia suo pondere metiris; non opinione vulgi, non numeri authoritate, non plurium suffragio, stateram flectis, sed vnius veritatis ductu, & motu. Quid dicam de sensu humanorum? non es è Stoicorum Apathia. Peripateticum Te esse ostendis, dum quoscunque obices aduersorum transcendis, nec iaces in casu, sed ambulas. nisi fortè eo solo nomine Stoicus esse credaris, quòd sentire te dissimulas, si quid doleat. Non ego SENECÆ præcepta desiderârim, cùm Tuos mores intueor: nolim de remediis vtriusq; fortunæ Petrarcham; vbi vtrique fortunæ Petra es: illam vt frangas, hanc vt sustineas. Tantumné in animi Tui schola Aristoteles es? satis hoc equidem ad omnem vitæ vsum esset. Tibi non sufficit, quod multos contentos reddit. Nescio quare animi nostri sensus, vel ingenij partus, quod maximè in Philosophis videmus, cùm in nido sunt, Nobilissimi apparent; cùm euolandum est in publicum, Gallo Aristotelico Platonico magis implumes. diuinam dum in cunis, hoc est mente sunt, speciem habere videntur, monstra sunt in ore. illi ipsi, qui genuerunt conceptus, linguam suam non intelligunt. dum verba fundunt, confundunt, dum discurrunt, offendunt. Tibi ILLVSTRISSIME PRINCEPS Philosophiæ arcana, non inuita in lucem exire videmus. fluis, cùm discurris, non verba & periodi, sed conceptus etiam rotundi. omnia ad tornum non Latinitatis modò, sed Eloquentiæ. quodlibet argumentum nodus Gordius est: omnia idem filum habent. Nunquam dissimulata difficultas, aut simulata; nisi Te imparitas æmuli, Tua humanitas simulare persuaderet, vt non ingenio tantùm sed virtute etiam triumphares. Nullus Tibi grauior hostis, quàm qui firmo pede stare nesciret; si quis valentior, illum amabas, vt solemus laudis materiam. Faciebas tenuitati nostræ in arce scientiarum CRACOVIÆ, Tua præsentiā frequentiam: vnus Plato instar omnium. vt humanissimè Te ostenderes, vinctas & iam diu detentas, in carcere (innocenter tamen) literas, Collegij nostri inuisebas, consolabaris; ad vincula Te Petri venisse putabas, quoties ad nos diuertisti. Ita tum Petri Cathedram

Tibi

Tibi deuinxisti, vt statim ad Limina Apostolorum Principum, ad Cathedram Posnaniensem, promouerêre. nostrum id erat votum, Tua merita, nos meritorum materia. Consuetudine Tua fecisti nobis magnam auctoritatem eruditionis, omnes æstimabant nos existimatione Tua; putabantque Te ad nos vel ferre Sapientiam, vel reperire. vtrumque bene cessit nobis; neque enim parum est, locum esse Tuæ Sapientiæ apud nos, vel nostræ apud Te. Quid dicam de illa contentione, quâ exotica ingenia, Gallos, Hispanos, Germanos, Belgas, Italos, & quidquid gentium in Vrbe est, fatigâsti. Videbaris inter Philosophos acutissimus, inter concertantes acerrimus, inter victores gloriosissimus. Eò amplius Tuum ingenium eminebat, quòd se solo appareret. Aliæ Nationes antiquitate literarum tuentur se, & armant; pugnant Sapientiæ (vt illi aiunt) fontibus, nostros esse Riuos; suum Oceanum, nostras guttas iactant. Nos præsidium in ingenio nostro habemus: si quid sapienter, argutè, dictum est, non è fama antiquitatis, sed ex ore nostro gratiam habet, adhuc apud nos nuda veritas est; illi mundo antiquitatis dum ornant, magis inuoluunt. Ita Sarmata pastus Equo, postquam omnem Sapientiam, quæ apud exteros in bellarijs erat, deuorauerit, maius est miraculum illis, quàm si asinus ficus voraret. Nobis sub frigidissimo cælo feruent studia, temperamentumque, etiam cùm vrit, facit Syrius: nec, vt alijs fieri prope Zonam torridam solet, insaniendum præ æstu sciendi. Viderit Athenas, quisquis antiquitatem studiorum iactat. omne illud Sapientiæ acumen in fidem Græcam, argutiæ in astutias desierunt. Faciebas Polonæ literaturæ magnam Te solo auctoritatem, de omnibus iudicia in Te vel faciebant, vel emendabant: Lydius lapis vel nostri ingenij, vel illorum. Parum erat excurrisse Philosophiæ cursum, Stoam, Peripatum, & Academum, Romanam emensum esse. processisti vltra cortinam diuinorum oraculorum, vsque ad DEVM, & quidquid DEO proximum est. Condiri debebant scientiæ humanæ diuinitatis temperamento, & mustum Philosophiæ, Theologiæ mero attemperari: ne, quæ sine DEO est Sapientia, inflaret. Feceras adhuc in iuuentute ad hæc studia gradum Timore Domini: ibi Te iam initiâsti hoc stadio, vbi timere DEVM incepisti, nam ex schola cordis, quam tantopere frequentabas, facillimus est gradus ad cor ipsius DEI, & scientiarum omnium medullam. Iam Theologiæ Christianæ summam in Angelicis moribus præferebas: ante summam Diui Thomæ. antè Angelus eras, quàm discipulus Doctoris Angelici. Crediderim ego Theologiæ studia in exercitio virtutum consistere. SOLEM hunc qui in pectore solis Theologorum Diui Thomæ lucet, magis inflammandis pectoribus esse: quàm

 ingenio

ingenio collustrando. Nimirum fide hîc agitur totum, quæ licèt clarissimis orta sit Parentibus, obscura est: si quid luminis habet, lucernam non excedit in caliginoso loco. Maximè practicam decet esse, siue dum operatur circa virtutes, siue dum in fuga vitiorum fatigatur. Tu etsi circa DEVM & diuina speculationem esse affirmes, concedis VERBVM ÆTERNVM sua intentione, & nostra necessitate, Actiuum simul & Passiuum fuisse. Quàm sublimi ingenio esses, tum vel maximè patuit, cùm vsque ad cælos euolare, volare cum Angelis licebat: euolâsti, volâsti. Hypostaticam VERBI DIVINI cum natura nostra Vnionem, felicissimè in cerebri Tui concha vnionem istum deposuisti; connubij istius etsi non paranymphus, testis tamen, quanquam & minister Sacramenti dici potes, quoties ad aras Diuinitatem Humanitatemque Christi, cum Panis & Vini speciebus copulas & coniungis. Omnes denique Theologiæ partes, tam de virtutibus Theologicis, quàm Moralibus complexus, ad summam perfectissimæ Theologiæ solùm peccata deesse videntur; ideo magis absolutus Theologus, quòd in eorum classe sis, qui ius illæsum, ad lauream Iuris vtriusque, Innocentiæ scilicet, & Sanctitatis, seruaueris. Quatuor annorum spatio Theologiæ studia definiuisti, non quòd citiùs non posses excurrere, sed vt firmiùs incederes; figeres potiùs pedem, quàm ferres. sed nemo meliùs de Te iudicauerit, illis, à quibus Sapientiæ Tuæ Gazam mutuabas. Tantus in opinione horum eras, vt quoties benè de alijs opinarentur, de Te optimè: alijs suam doctrinam gratulabantur, Te sibi discipulum: vt specula gratiora nobis sunt, quæ debitè symmetriam vultus repræsentant; ita Præceptoribus ij gratissimi, qui assequuntur. Docere, instillare, labor est, doceri, capere, fructus Magistrorum. Quod de optimis Patribusfamilias cogitare solemus, dum mensam non instruunt modò aut ornant, sed onerant dapibus: nihil aliud velle, nisi famem nostram, nisi epulas. par est cogitare de Doctissimis Tuis Professoribus, singularem fructum industriæ suæ ex Te vno cepisse. cùm quidquid subtilitatum depromerent, Tu non excipiebas tantùm, sed & capiebas. magisque manus fatigabatur, quàm ingenium. anteuertebas cogitatione, quæ scriberes, scribebas tamen, de communi cum Magistris partu voluptatem habiturus. Annuere mihi videris, fieri hîc mentionem Eminentissimi Ioannis de Lugo Cardinalis SOCIETATIS nostræ, & Tui in Theologiæ Auditorio Magistri; dissimulare non possum Tua imperia, tacere illius amplitudinem. Illam quam orbis miratur doctrinam, Tu didicisti; quem orbis audit, Tu consulebas, cuius authoritate tuemur nos in dubijs, illi Tu sæpè Tuam authoritatem opponebas, & latentem in illa Sapientiæ officina

doctri-

doctrinam eruebas; cùm maximè de doctrina Sapientissimi Magistri dubitabas, de Tua manifestam faciebas demonstrationem. Non reliquisse illum Romæ, sed tulisse ad nos in Poloniam videbaris; referebas nobis non imitatione, sed ipsa re, & quod Tibi illiq; honorificentissimum est, eius Thesibus inter doctos præsidere visus es, cùm doctrinam constantissimè tuebaris. Ea demum integerrima in scholis laus est, scire, quæ didiceris, tueri. Quæ de Te apud illum iam non erant vota? Nunc Principum gloria, nunc Ecclesiæ Catholicæ columen, nunc Hæreticorum fulmen, audiebas. verbo, iam tantus illi Magistro eras, vt quod de se præsumere non auderet, Tibi polliceretur. Illum nimirum futurum Te aliquando Pontificem, quem, vbicunque lateres, suffragia populorum inuenirent: licèt non quæreres, habiturum Tiaras, cùm maximè contentionem fugeres, euasurum velocissima SERENISSIMORVM Poloniæ Regum voluntate in prosequendis, qui excusatione & modestiâ fugam tuentur, Pontificatu dignissimis. Et nisi VRBANI VIII. imperio modestiæ Religiosæ vmbras, Purpurâ ille colorasset, Tu magis illustris futurus eras. nisi ille Galerum accepisset, Sicipiti Pontificiæ Tiaræ vertice eminuisses. Ita, Tibi Principi nauauisse in sacris perdiscendis scientijs, tanti constitit Eminentissimo LVGONI, vt par Tibi esse in Pontificatu debuerit, postquam Te ad normam suæ scientiæ erudiuit. Etsi in literas casus & fortuna nihil iuris habet, nescio tamen cur Iuris vtriusque Doctores, sæpè casu & fortunâ multi fiant. ita præmia literarum, cùm ipsas non possit, occupare solet fortuna. at nummis Sapientiæ lauream comparare, ea demum stultitiæ summa est. Etsi pretiosissima est Sapientia, tantùm labore venit. effundere aurum non est opus, sed sudores, vt hoc noxio humore egesto, fiat locus in capite deposito. strepit Sapientia, an strìdet? quæ inter tinnitum auri nata est, postquam aurum conflauerit, inflat: nihil succi habet, magis pallida est, quàm aurum. Videmus eiusmodi mercatores, venditare magis, quàm vendere Sapientiam. Priuilegium habere, Doctores appellari, legem non esse doctos; & cùm alijs in libro Sapientia sit, illis est in vna charta. Sacræ Theologiæ, Diuinique ac Humani Iuris lauream, studio, contentione, profectu, meruisti: non est in Te beneficium, sed meritum, sed stipendium. quid enim non haberes, quam multis eripuisti? quomodò non teneres cùm nullus eripere possit, etiam illi, qui maximè æmulabantur? quanto se magis erigebant, porrigebant palmam. Licèt Tu magis curabas esse Doctus, quàm Doctor, communem appellationem, scientia singulari cumulâsti. fecisti, quod rarò accidit in Principe, vbi omnia Maiestas occupat, locum Sapientiæ. subarrhâsti annulo digitum, quo tot opinionibus, tot dubijs,

dubijs, silentium imposuisti; vt ostenderes, magìs lucere Sapientiæ gemmam in Illustrissimis: accepisti librum, vt dares testimonium plus esse in nigro librorum Purpuræ, quàm in sanguine tot Regum, tot Principum: nostras esse à Sapientia laudes, alienas à sanguine. Ita ILLVSTRISSIME PRINCEPS, etsi multum acceperis à literis, plus dedisti; admisisti ad Poloniæ Aquilam, Mineruæ Noctuam, & scutum Persei Generosissimo Equiti Tuo, addidisti: inter tot offendicula viæ & vitæ, habes Mercurij virgam in manu, contra pestes tot & tantas, isti serpentes, qui virgam ambiunt, facient vt speramus Theriacam. Fecisti Te tantâ Sapientiâ Cathedræ Posnaniensi magìs gratiosum: habet nidum, in quo alibi natam eruditionem deponas. ita vtrumque littus VARTÆ adamârunt Musæ, vt non suauiùs Aganippes fontibus, vel potentur, vel abluantur. Diœcesis Tua Sapientissima est, & cùm paucos habeat è Curionibus Doctores, Doctos quàm plurimos. Tuum hoc speramus beneficium, mutuabis aliquid de Tua authoritate; vt possimus etiam Doctores nominare, cùm Doctos faciamus. Ita cùm ad nos veneris, eris inter Oratores Tullius, inter Philosophos Aristoteles, inter Theologos Aquinas, inter Doctos Doctissimus.

QVis litterato præmia seculo
Dignè refundat? non Arabum sinu
Exempta merces: non auari
Diues opum bene Gaza Crassi.
Quamuìs apertis ditior aureum
Parthus liquorem rictibus influat:
Non si quod in nido superbis
Gryphibus est, rapiatur aurum.
Qui vorticosus diuite perfluit
Pactolus alueo, promeritâ minor
Mercede: fundoqué euolutis
Ipse Tagus minor est arenis.
Creuêre Musæ: formaq́ Virginum,
Virtusqué maior. Non humili iuuet
Ornare mundo, sed corollas
Ditibus accumulare gemmis.
Non sola sacri conscia germinis
Vel Cyrrha, Cyrrha vel gemino procùl
E colle Parnassus, verendo aut
Vertice conspicuus Cytheron.
Plures Athenæ. crescere Porticus,
Stoamqué cerno! iurgia concrepant;

Qua-

Quaecunqué Doctorum, recenti
Feruet vbique Academus vmbra.
Illic Platonis Pneumate tussiunt,
Senes verendi. Parte alia sales
Mistiqué verborum, iocantis
Democriti, veniunt lepores.
An qui Deorum mente, scientiam
Libasse primus creditur, extulit
Se rursus vmbris? an Platone
Discipulus melior magistro,
Auditur, alto verba silentio
Donare sancti mentibus otij?
Et rursus apparet peroso
Antè, recens Stagirita, mundo?
Rursumqué fundo Thetidos enatat?
Et reddit Euripus malè quem tulit?
Hic vnde Doctorum, resurgens,
E tumulis glomeratur ordo!
Phœbusné rursus quærere Thracios,
Natale Cælum, Sarmata, limites
Affectat? an Graijs iniquus,
Post, Patriam repetiuit, Argos?
Vltrané dici noluit Atticus?
Quando seueris Concanus obtinet
Hæc Regna frenis, mitiores
Quæ Dominæ tenuêre Musæ!
Vidi relicto vertice Pegasum
Errare campis: concutere vngulâ
Sublime montis, verberato, &
Biscipiti properare colle!
Hinc Æthra pennas, hinc vocat vngulam,
Porrecta tellus. Hinnijt inscius,
Exulqué terræ, quâ cupitas
Calce siti repararet vndas.
Nec gratiosas, fontis in arido,
Hærere Musas ampliùs imperat:
Viam volando mox parauit,
Quas peteret, sequerentur oras.
Tunc alta sternunt se iuga montium.
Alpes, vel altis non minor Alpibus

It nu-

It nube Pyrenéus Iberus,
Pœnè Helicon vetus aula, colles.
At tu superbo vertice non minor,
Vt meta surgis Carpate Pegaso!
Quà lene vitrum vorticosus
Vandalico iacis amne Lechis.
Huc longiori semîanimis via
Aspirat exul Pegasus; huc nouem
Tendunt Sorores, & Polono
Stare volunt aliquando saltu.
Mox delicati margine Vistulæ
Casto natatu, pectora balneant.
Quamsi verecundas videres
Naiadas, aut Napaæa lustra.
Cernunt Vaueli culmina Regii:
In summa colles sidera sutiles.
Quos ponè perlapsus, liquorem
Vnda parem parit Hippocrenes
Olim petitis fontibus Istulæ.
Hoc fonte posthac credite Thespium
(Apollo dixit) ô Sorores
Vnde sitim releuetis, amnem!
Hîc nostra possim tendere barbita
Effusus herbis. inde satur Lyræ,
Quietus appendam Draconis
Plectra sonum fugientis antro.
At vos Patritam, quæ tulit hospites,
Ornate terram. Nunc faciles metro
Aptate venas: nunc fluentis
Eloquij properate mustum:
Hinc inuidenda vt prodeat Atticis
Curate pubes: sed magè PRINCIPEM
Lauruq́, fragrantiq́ thymbra,
Et Siculis redimite sertis.

HAbet in Te ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS fortuna non casum, quod in multis; sed stationem, quod raro, benefidam. Nisi forte eo ipso se longè à Te excludat, quòd stare debeat, nunquam labi. ancillari se probat, cùm recedere sine venia non potest: Tu singulare imperium exerces, quòd veniam dare, quamuis maximè velit, non possis. Eo loci, hoc est in Illu-

Illustrissima & antiquissima Familia natum esse Te, Naturæ beneficium dixerim, non fortunæ: educationem integerrimam Illustrissimis Parentibus debes; Sapientiæ lauream, Tuis laboribus; Honores meritis. Attulisti Pontificio Apici dignum verticem, nec otiosa aut imbelli manu, sed poenè Herculeos labores expertâ, accepisti Pedum. eodem quo Te sibi Sapientia desponderat annulo, Tibi Ecclesiam Posnaniensem desponsâsti. Aiunt Honorem etsi Illustrissimos quandoq; faciat, cæcum esse. facilè fortunæ pullum in Familiam cæcorum transcripserim; alius omnis, lynceos habet oculos. Beneficia fortunæ, infortunia sunt apud indignos: nam miserrima eorum felicitas, qui vti nesciunt. Nullibi magìs studia feruent, quàm in ambitu Honoris: non ad æmulationem, sed ad inuidiam certatur. adsciscuntur in auxilium fraudes, simulationes & simultates; quin ipsa amicitia hostiliter exercetur. Vna omnium meta, HONORIS punctum. O curas! ô inane! rari ita lucere volunt, quin alios obumbrent; vt sol minora sidera, sic illi, minores exstinguunt: nec potest esse aliquis summus, nisi omnes inferiores efficiat. at ipsa altitudo, humilitatem accelerat in arboribus; in hominibus, paruitatem magnitudo. Nullibi maiores ruinæ, quàm magnis in ædificijs. Magnitudinem suam Pompeius dum tuetur, Orbem minorem fecit: illius funere, parauit sibi sepulchrum: in illius vno capite, vix non ceruix Orbi præcisa est. Quod in magnis fluminibus accidere solet, idem in gloria. Fluuij non sunt, nisi riuos deuorauerint; nisi mare perpetuò tot flumina bibat, arescet: temulentia facit Oceanum. Habet aliud vitium Honor in indigno, superbus est. quisquis enim in ambitu fastu peccauit, exercere non potest aliter Honorem, nisi eo modo quo acquisiuit. Sed nulli magìs digni Honoribus sunt, quàm qui se indignos existimant. vt nemo luce dignior est eo, qui in tenebris manet; ita & gloriâ, aut Honore dignissimi illi, qui latent. Nisi merita auctoritatem illi faciant, leuis est; maximè apud eos, qui digniores erant. quis enim tantopere in alio suspiciat dignitatem, quam contempsit? Sæpè Honores retrimenta sunt eorum, à quibus conculcantur: quos si quis iactat, illud habet in capite, quod sub pedibus meliorum erat. affectare, si quis non mereatur Honorem, culpa est; accipere, poena omnium grauissima. Tyrannus est vbi regnat: ibi verò semper regnat, vbi nihil melius Honore. In alijs virtutem & Sapientiam veretur. manu ducitur ab his, & ferè mancipium est omnium vilissimum. vt ijs, qui sanos oculos habent, lux est gratissima: ita quibus pupilla animi, hoc est ratio, non est lusca, Honores gratissimi sunt dum seruiunt. Sed inter bona propria nunquam reponendi, etiam summi. non licet illos in conscientia simul cum virtutibus portare.

tare: profanum quid est: in opinione aut lingua aliorum diuersetur, halitu viuit, non cordis sed oris. Quidquid in Honore quæratur summum, etiamsi illum in oleum Philosophorum distillemus, nihil est nisi videri, prædicari, oculi scilicet & linguæ alienæ. Herculè cæci & surdi, cùm illi videntur, isti laudantur, opprobria sua ducunt, non encomia. Magna licèt in Honore Gratia, non est summa. plerumq; quibus honores grati sunt, ipsi Honoribus ingratissimi. Alia sunt magnorum Honorum lucra, alij partus, partes aliæ. Nulla maior necessitas sanctiùs viuendi, quàm à loco sublimiori. qui demissi in obscuro vitam agunt, si quid deliquerint, pauci sciunt. vita & fortuna illorum pares sunt. At qui in summa fortuna eminèt, eorum facta cuncti mortales nouêre: vt in summa fortuna minima licentia sit. Ad suum censum, Titulos, dignitates conuertere; auarissimi fœneratoris est, ne dicam furis. Publica bona sunt, Honor & Dignitas: in priuatos vsus conuertere, peculatus, immò sacrilegium. Bona Exempla, innocentiā vitæ, nisi summi exerceant, iniuriæ sunt summæ minorum. Imperia hi putant quidquid viderint, in vtramq; partem. Quodsi tam consilijs quàm exemplis deficiant; Magistratu abeunt, exuuntur Honore, quem tam malè tractârunt. TVVS ILLVSTRISSIME PRINCEPS HONOR iste recens, vel in Ecclesia Catholica, vel Polona Repub. in summas spes animos omnium erexit. Pœnè inter Aras ac Preces repertus, vnus inter vmbras Oratorij quæsitus ad Lucem; inter Superûm vota, SERENISSIMI REGIS IOANNIS CASIMIRI. IV. voto (oraculo dixisse debueram) destinatus. Magnum pondus habebat apud Te eius voluntas, quem sciebas non temerè & casu, sed omnia maturè consulto facere. accepisti ne contempsisse videreris excusando, vel Principis gratiam, vel Honoris diuinitatem. ego existimo grauissimam fuisse suscipiendi necessitatem vtrinque; longè tamen grauiorem, DEI ipsius consilium. Vnde enim Regi tum Serenissimo de Te cogitare? Non ingerebas Te in oculos, ne occupare videreris antiqua aliorum merita, Tuis maioribus: excusabas ætate, adulta illorum obsequia; & quanquam plus alijs afferres, quia tempore pugnabatur, cedebas antiquioribus. Remis & velis inuehebantur alii per Oceanum fauorum, parentelarum: Tu cùm tot naufragia videres, remulco littus adhuc legebas; & cùm sedere ad Clauum iam posses in summa oneraria, fato quodam ad LEMBVM PETRI seruabaris. Longè eras ab ijs, quæ prima sunt ascendentibus ad magna. Limina aulæ vix noueras, ferè non triueras. Venisti tamen in mentem facilè, cùm optimus quærebatur. sola pro Te Regis Serenissimi prudentia agebat, vt facilè inuenires ibi gratiæ locum, vbi priùs virtuti feceras. Alij putant indulsisse cognationi, & pro Te VLA-

DISLA-

DISLAVM IAGELLONEM, tot deinde Reges perorâsse: Claritudinem generis cognationum studia alij dicebant, honestissimos ad talia Patronos. siue suo Sanguini Rex Serenissimus, siue Tuo Generi commodauit, feliciter nauigâsti, quia sine æmulo. adhuc deberes Honorem tanti æstimare, quanta est vel Regum Maiestas, vel Principum authoritas. At Rex Serenissimus, causam DEI & Ecclesiæ altioribus pendebat momentis, magisque attendebatur Sanguis CHRISTI pretiosissimus, quàm Iagellonicus; magis homines, quàm Principes; vtilitas aliorum, non studia cognationum. Nemo est qui Te in Honorum cursu præcucurrisse inuideat: vna omnes admiratio tenet; reuera non indigna. Venisti ad præmia sine contentione, accepisti beneficium cùm manus non exporrigeres, poenè sedens, volantes in cāpo ambitus superâsti. Vicisti omnium studia cùm non pugnabas, apparuisti in vmbra. Ita authoritatem Honori, gratia Regis Serenissimi fecit; quòd vnius maturissimo iudicio adoleueris. ea verò ætas conuenientissima est ad Reipub. munia, afferre annos, non multos sed sufficientes: mentem potiùs canam, quàm mentum. Nemo faciliùs vincitur, quàm qui vetustate pugnat: quamuis maximè sit auara senectus, malè omnis cibus digeritur, vel corporis vel Honoris: nisi stomachus sit, hinc contra cruda, hinc contra ardua. Obsequia SERENISSIMO REGI & Reipub. cùm nulla adhuc dares, promittebas omnia. multi in quærendo Honore ita seruiunt, vt vires ad vsum non habeant; & cùm maximè sparta quàm quærunt, ornanda est, ægrè illam, cùm inuenerint, tuentur. Sciebas ILLVSTRISSIME PRINCEPS, præsidia priùs paranda esse exercendo Honori, discendamque artem ante exercitium. nam vsu discere periculum est, ne profectus fiat ex erroribus: quod in mechanicis etsi tolerabile, nemo sapiens non ægrè ferat in diuinis. vt ait Hipponensis Præsul; Ars artium est regimen animorum: non datur errare contra artem, sine vitæ periculo, vel nostræ, vel alienæ; sæpè nostræ & alienæ Instrumenta artis in manu sint oportet: Vestræ istius Piscatoriæ, ab eo fieri priùs debent, qui exercet. emere, ferè non licet retia, aut commodare; idem de hamo iudicium, & quidquid ad piscationem Animarum pertinere videtur. sæpè cum ruptum fuerit rete, reficiendum est, manu eadem, quæ ad portum æternitatis è mari trahebat. Nudis manibus in Oceano captare pisces, est demum aquis illudere. Tot deinde pericula, vel ab ipsis piscibus! maximè si quis in REMORAM incidat. Cicurare pisces, ignota ars est, ignotus artifex. diligere bonos tantùm, non licet nisi in ipso portu immortalitatis. Miscere oportet, Piscatorem cum Pastore, & vtrumque lupum, siue siluæ siue aquæ, repellere: porrò illi maximè lupum

fugiunt, qui pascere desiderabant. Non erit in Te Præsul Reuerendissime Honor Pontificalis inermis, præter illa communia tela, Baculum & virgam in manu, Galeam bicipitem in vertice, manicatas manus, ocreatos pedes, loricatum pectus tot stolis. habes necessaria omnino isti muneri præsidia, rara equidem, & fortasse rarorum: at nemo artifex sine instrumentis. Non tantùm eminebis coronato, vt docto vertice: magis splendebit animi Tui gemma, quàm annuli. Quod in Te ament singuli & mirentur, attulisti Tecum, cùm venisti; dedisti Senatoribus Regni, collegam Pontificem Sapientissimum; Nobilitati Principem Illustrissimum; subditis Parentem optimum; egenis Patronum munificentissimum; omnibus virtutem. ita Tuus Honor non reuerentiæ tantùm erit, sed amori; non gloriæ tantùm omnium, sed vtilitati seruiet multorum. spectabis contentiones, quas iam in Tui studiosis excitâsti, Tua inauguratione. Nos beati ac felices existimabimur manus Tuæ osculo, qui iam ab Antecessoribus Tuis facultatem Altaris habemus; qui nondum adyta hæc ingressi, adhuc in porticu exspectant, gratulantur suis sacris, quòd à Te sanctissimo conferentur. felicia (nec immeritò) futura putant illa capita, quibus manus imposueris, & quem donaueris Ordinem, vel Tui priuilegio sanctissimè seruaturos se ominantur. & quamuis characteres Sacerdotij iidem ab omnibus Pontificibus scribantur, habet tamen aliquid gratiæ manus, cui formam virtutis induxisti. Tanti est non affectare sed vereri Honorem. Etsi in dignis beneficium non est, sed præmium: nullibi maiorem gratitudinem experitur, cùm ad indignos diuertit; beneficium non tam facit, quàm proijcit. gratitudo nulla est, immò contemptus. nulla æstimatio amplitudinis; nihil in vita par magno Honori. illa ipsa, quæ aliàs latibulis excusarentur crimina, in magna luce pudorem magis incutiunt, & Honorem dehonestant. sic serò pœnitere incipit festinatæ amplitudinis, vbi in ipso culmine lux accensa exstinguitur. Quot homines maiores habuissemus, si quid de magnitudine detractum fuisset! quod summum erat, fecit abiectos & sordidos. Ignorant scilicet plurimi in meta sestare, cùm in summo sunt; ad quam illi maximè collimant, qui obliquè iaculantur; quam illi tangunt, qui pessimè. Magna sit oportet virtus, vt in summo appareat. Turrium Carchesia & pinnæ, puncta sunt in oculis nostris. Auium Reges cùm humi stant, eminent: inter nubes, Acredulas non excedunt. Non tantùm conscientiæ propriæ, sed etiam oculo eorum, supra quos eminent, seruire decet. nam si virtus non videatur, promptissimũ vulgi iudicium est, à non videri ad non nosse. sic dum virtutem in alio non vident, vitium in se faciunt suspicionis. Tantùm nonnulli Honori fi-

dunt,

dunt, vt velut ex Amaltheæ cornu, omnia ex vno venire persuadeantur. ignari opinionem quidem ab Honore gigni, non scientiam; ac illa plus aliquando nocet, quàm prosit: nisi respondeatur factis, degenerat in errorem, cui demonstrationem faciat experientia, praxis speculationem pessundet. melius verò est nunquam imponere, quàm falsitatis redargui. Quoties, vbi sperabatur, non est Sapientia, eo magis Honorem pudet. ridet Orbis (luget dixisse debueram) sæpè ad Clauum sedere remo indignum, ferre Purpuram dignum Centone. interea quæ maximè errando progreditur fortuna, dum ludit, lædit nimium. Ibat in amplexus Tuos Tiaratus Honor, parum dixi, trahebatur; etiam hoc parum, volabat. Obstinatus in alios est, temerarius in quosdam: Maiestate Tua exemisti illi vel duritiam, vel facilitatem: reluctari non debebat etiam ferreus, cuius magnetem in Tuo pectore portabas: etiamsi leuissimus, festinauit sine præcipitio. Licet coram Te acutissimo Philosophiæ Magistro, paradoxum Ethicum asserere: nullam Tibi formam adferre Honores, sed à Te accipere. Ibi pulchritudo eius elucet, vbi in materiam informem incidit. In Te, antequam adueniret, omnia culta, perfecta omnia. Sed ego vereor, ne non tanti Honorem Tuum æstimem, quanti Tu ipse. scio à Te hospitem istum, vt diuinissimus est, etiam ante Ceras Maiorum, non in atrio, sed in animo Tuo collocari. Libens volensque ad Mitram Principum addis Tiaram Pontificum. mauis sub hoc bicipiti vertice nudum, caput, quàm sub alio gemmeum, vel Cæsariatum, portare. Libenter descendis è Gentilitio Equo in Lembum, vt sumas cum freno Claues, cum gladio militis, Pedum pastorale. Dedisti specimen in recenti Honore antiquæ virtutis: inter plausus Tuorum, Tuus es: inter acclamationes omnium, siles apud Te: inter salutantium dextras, modestiæ non valedicis; tenes virtutis manum, cùm das Tuam. Auges admirationem nostram, quòd omnia Tibi noua, insolita omnia videntur. nihil in Te nostris studijs par, nihil Nobilitatis Humanitati, Ciuium Vrbanitati, totius demum Maioris Poloniæ beneuolentiæ, nihil simile affirmas. Nos existimabamus summam Te gratiam facturum, si admisisses accedentes. vicisti opinionem, cùm Te nobis ægrè committis; excusas (quod ego dicere non ausim) Tua Paruitate. Ita omnino summum Te esse probas, cùm inter mediocres non appares. artificium hoc est pertingendi ad summum, minuere (quod tu facis) amplitudinem. Nihil est enim magìs iam in Te singulare, quàm quòd sis omnibus communis; nihil magìs cõmune, quàm Tu omnibus. Pretia sua multi raritate æstimant, quo plus in se luminis & maiestatis arbitrantur inesse, parciùs se concedunt, ne oculos contuentium perstringant:

ita

ita nimirum adſciticius ſplendor facilè infaſcinari poteſt, & obteneſcere, vel inuidiæ liuore, vel ſplendore æmulo. In Te lumen vt in ſole: ſufficis omnibus; ita Te attemperâſti, vt nulli lumen noceat, niſi quòd præ auiditate videndi Te, vix oculi omnium vnà cum animis ad Te non egrediuntur. Ac cùm omnes partes ſuas in hac lætitiæ ſcena promoueant, Patria potiorem partem theatri occupauit, ſola eminet. admittit in hoc luctu aliquam in Te lætitiæ parentheſim: ſolatur Ciuis, immò Patris Patriæ memoriâ, quam à ſeruis accepit calamitatem, eo inſtantiùs, quòd in Te, quâ eget, ſperat medicinam. Hactenus ita graſſatum eſt à fæce hominum, vt temulentiam belli ſeruilis nemo meliùs ſenſerit ijs, qui ſeruos habent. inſolita omnino cataſtrophe, ab aratro ad caſtra, à vomere ad gladios tranſire! exempta bobus iuga, Dominis imponere! factum vidimus! ſenſimus! doluimus! Vereor, ne quid conſilijs peccatum ſit, non ſolis armis. Quod ſi nidum & fontem Reipub: cladium quæramus, inueniemus iſtinc prodijſſe, vbi peſſima naſci ſolent conſilia, reddendi Schiſmaticis tot Catholicorum Eccleſias! dum enim mala tempora timentur, ab his qui maximè timent, peſſima fiunt; cùm pro bona cauſa nemo eſt qui dicat, omnes mali facilè regnare incipiunt. At nunquam meliùs Regna vel Reſpub. hærent, quàm in vnione animorum; quã extra vnitatem fidei quærere, eſt extra DEVM pacis & concordiæ Parentem abire. In Regno hoc, quod liberrimum eſt, nemini ſuæ libidini ſeruire licet, aut alienæ. expedit dum matura cuduntur, lenta nimis conſilia non eſſe: ne dum in feſtinatione timetur præcipitium, offendatur ſedendo. & maturè conſulto, & expeditè facto opus eſt. Facilè conſilia patiuntur moram cùm naſcuntur, vbi in lucem prodierint, non pedibus ſed alis ferenda, etiam trudenda: nonniſi in effectu videri amant, aliàs nullius boni ſunt cauſa. Honor iſte, ILLVSTRISSIME PRINCEPS, etſi primùm conſiliorum faber non erit, tamen aperiet officinam: ita nihil ab illo habes, niſi poteſtatem promendi ſapientiſſima conſilia, à Te ipſo eſt facultas faciendi. Neque ille è malis facit bonos, nec aut mutis linguam, aut fatuis commodat conſilium. magis denudat, quo illuſtrior; non eſt tam bonus Magiſter, vt ferulam morum habeat: ſæpè quia mulcet & palpat, conniuentiâ facit in malis confidentiam ad peſſima, in bonis ad mala audaciam. Theatrum erit Virtutis Tuæ & Sapientiæ: implebis omnes ſcenas ſancti Pontificis, Sapientiſſimi Senatoris. & quia perſonatus actor non eris, putamus quòd iſtam perſonam Humanitatis & beneuolentiæ erga omnes, nunquam depones. Quomodo non gratuler iſtum exercendæ virtuti campum; in quo, CVRSV OLYMPICO, cælo ipſo ſpectatore excurres? Cælum Tibi inuidere videtur, quiſquis

Te

Te hic esse, non libenter videt: vbi etsi cælo inuidiam facies, dissimulabit interea palmas Tuas, dum lucra crescent nostra. Regnum hoc amplissimum ita liberum est, vt maximè in seruitute, vel DEI vel Religionis, libertatem Polonā experiatur. Iugum Christi, ita detriuit vel Regum vel Principum, vel Senatûs, vel totius Nobilitatis colla, vt ipsa dignitatum insignia, honestissima esse putentur, in Mitris Pontificum, nouo titulo sanctitatis. ita non aliunde Interreges, Primates Regni, Primosq; Principes, Legatos Natos, nisi è nido vel Fidei vel Regni, è Gnezna habemus; Senatûs Principes ibi nascuntur· tot deinde Senatores quot Pontifices, numeramus. raro exemplo non est summa post Serenissimos Reges authoritas, nisi summa sanctitas! si alio Regno vel Repub. id Honoris obtingat; in Templo multum maiestatis est, nihil in Curia amplitudinis: altaria tantùm, & imagines curantur, soli personant Ecclesiarum parietes; extra, vocem vel pedem efferre, Ratio Status non permittit. ita cùm qui sanctissimè dicere possent excluduntur, frequenter consilia Senatus, illa optima putantur, quorum effectus, regio sola potiùs, quàm etiam Religio defensa. At in Polonia Pontifex, idem est Pater Patriæ, Templi & Curiæ præses. vt ad curulem Senatoriam, non aliunde nisi ab altari consilia deferre videatur, illamque Sapientiam quæ de cælo est, Reipub. vsibus commodare. Neque hoc mirum istic esse debet, cum Regnum hoc florentissimum, nonnisi iam adulta Religione natum sit, tum primùm florere cæpit, cùm fructus Virtutum Christianarum tulit. tum BOLESLAVS CHABRI Diadema Regni accepit, cùm latè Fides Catholica regnasset. Liceat alibi Senatores, sentire ea quibus cælum dissentiat, nostris non licet. Habent inter se è cæli ipsius cortina, cælestium arcanorum interpretes, ipsius sanctitatis oracula. Accessisti ILLVSTRISSIME PRINCEPS, quò Te diu iam vota nostra, Virtus Tua ducebat, Illustrissimi Maiores Tui præiuerunt. Nihil erat impedimenti in itinere, tritâ pœnè incessisti semitâ, TVORVM exemplis. quod si compendio vsus es; virtus fecit, annis etiam, qui velocissimi sunt, præcucurrisse. Minores gradus vel infularum vel dignitatum, ascendere non debebas: summo venientibus, proxima sunt altiora. qui humi serpunt, si emergere è tenebris voluerint, primùm in crepusculo esse oportet, antequam plenam lucem excipiant. Exortus ibi es, vbi in solstitio, vel Serenissimorum vel Illustrissimorum luminum, Gloria generis Tui Poloniam illustrabat. Non debebas instar nouilunij crescere, qui nullius interpositione opaci, aut ex oculis, aut è memoria Poloniæ excessisti. Ita in CVRSV OLYMPICO non saltas sed graderis. scilicet Domi Tuæ Honor hospes non est, ideo & Tu peregrinari non didicisti. Non speras Te tædiosum in consuetudine futurum, ideo constantem amicitiam statim inire malebas, quàm

Q muta-

mutare frequenter. Vtcunque mihi ſatis gratulatus videor, Honorem iſtum Pontificium vel Senatorium; Tibi omnino nondum ſatis, pœnè nihil Honori. Gratulari ego vt par erat, me velle volebam, neſcio vtrùm etiam gratulatus ſim vt par erat. ſed in tanto omnium plauſu, facilè eſt non audiri vnum: in omnium voce, etiam vnum tacere non expedit, ne ſe ipſo prodat & accuſet ſilentio. Scio me ad fatigatas iam vel aures Tuas vel oculos venturum, occupatam inuenturum manum; venio tamen, & aliorum feſta, ferijs hiſce meis ſcholaſticis prætendo Patronos. Nimirum otium ad hæc legenda ſi non habueris, ego non illibenter habebo, non fuiſſe me Tibi moleſtum. Malim reponi inter aliorum lucubrationes, quàm illos oculos, quos tot literatorum concertationibus delectâſti, ſtylo meo non ad Tuam Maieſtatem compoſito compungere. etſi roſas Tibi afferrem, cautè nimis porrigerem, ne in ſpinas incurreres: etſi flores, timerem ne quis eſſet mali odoris. Intereà nec roſas, nec flores, ſed folia mihi ferre videor; & in Sapientiæ Tuæ horreo paleas deponere. facilè invenio excuſationem in Humanitate Tua: poſtquam Te omnibus Tuæ Cathedræ ſubditis donâſti, dabis & malo Oratori. Profeciſſe Te aliquid etiam ex hac pagina exiſtimauerim, cùm ad eam, quam iam habes bonorum Oratorum ſcientiam, etiam experientiam mali appoſueris. Ita ego apud me Eloquentiæ meæ muſtum diluere ſoleo. Quomodò me Honori, quomodò Tibi excuſem, non inuenio. Tibi Honorem gratulari, temerarij eſſe videbatur, immò impudentis. tantum de meritis demitur, quantum gratulatio creſcit. qui digni ſunt, iniuriam ſibi fieri putant, quoties Honor cum iſto faſtu comparet, vbi deberet eſſe vel modeſtiſſimus, cùm ſtipendiarius ſit. Merita etiam gratulari non ſolemus, ne nouam & raram virtutem facere videamur, vbi firmas egit radices. Difficile & arduum ſit oportet gratulationis argumentum: at verò nulli faciliùs bene operantur, quàm qui optimi ſunt. potiùs bonam incolumitatem, proſperam fortunam, & ea, quæ noſtra cùm ſint, aliena vel erant, vel eſſe poſſunt, gratularer; quàm ea, quæ tam Tua ſunt quàm Tu ipſe, vti eſt Virtus & Probitas. Tamen ego Honorem gratulatus ſum, quia optabam. diſſimulare non poteram meum gaudium, qui nunquam ſimulare didicerim. Tu qui materia communis lætitiæ toti Poloniæ Maiori es, offendi non debes, illud vnumquemq; ſpirare, quod inſpirâſti. Herculè non vereor ne quid non probes, facilè omnia lætitiæ partu excuſabo, in qua vel maximè durum eſt ſedentarium eſſe, ſi quid torno, vt multa ſunt, indiget; ideo me non emendâſſe dicam, quòd maluerim tum feriari, cùm Tu aduentu Tuo, non ſcholis tantùm & libris, ſed omnibus artibus & officinis iuſtitium indixiſti.

dixisti. Etsi ego me meâ audaciâ, Tu meâ temeritate absoluis: Honor Tuus durior est; non annuit, sed renuit, silentio. Nisi Te illi gratulatus fuero, intelligo quid sentiat; non sentire me tantum de Te, quantum debeo, quantum Tu mereris. Ea demum omnis Eloquentia hic esse debet, exercere Oratoriam, in Te, Honori vel Pontificio, vel Senatorio, gratulando. Ego existimo illud omnibus in hoc literarum ludo, si gratulationis apostrophe ad illum est, qui meretur Honorem: quod si non meritus est, vereor ne scōma sit, quod laudem putat. Patere Illustrissime Princeps etiam Te gratulari Honori, cui Te donâsti: agnosce Te ibi, vbi es. Cogitabo Te Pontificio diademate coronatum in Templo, inter Patriæ Patres in Curia: altiùs in Te vertex iste assurgere videtur: eminere Senatoris sella. Non crescis aut Infulâ, cùm ad aram reuerenter assistis; nec attolleris sellâ Senatoriæ dignitatis, quam imples. venisti ad vtrumque iam magnus, cuicunq; in Polonia sublimitati par. facilè est cogitare quāta hæc in Te tanto sint, cùm tantillos etiam, tantos faciant. Attulisti ad Pontificiam dignitatem, quod maximè dignos facit Pontifices, Virtutem & Sciētiam: etsi hoc satis erat, tamen vt beneficium hospiti faceres, deposuisti Tiaram in illo vertice, vbi Principum diadema seculis pluribus luxit: & lucebit tamdiu, vt vouemus, quamdiu sol ipse. Illustrâsti Curiam Senatus nouo lumine, maioremq; comitio authoritatem fecisti, vbi Patria tutò quiescat, cùm primùm sellam Senatoriam occupâsti, fecisti in sinu locum, sed ne lethargum dormiat, excitabis illa oratione, quam contentissimam experti sumus. Inter Bonos Senatores, eris exemplum meliorum. Non Te à libertate consilij potentia aliquorum, quia omnibus par; non temeritas, quia constantissimus es; non peruersitas, quia optimus; non calliditas, quia Sapientissimus, retardabit. Elucebit splendide in Te Honor Senatorius: apparebit in libertate Polonus esse; in Maiestate Regius, in salubritate consilij vtilissimus; in effectu, maximè necessarius. Ne aliquâ inuidiâ apud Nobilitatem ordo iste laboret, facies Tu Sapientia & Authoritate Tua, vt suspicione etiam Nobilitas peccare non possit. seruabis stylum Curiæ, nec opus erit à Te importunè rogari sententiam, aut audiri cum tædio; vltro, quæ Reipub. isti profutura videbuntur, dices illo Tuo stylo, quo Tullius videri soles. Etiamné extra Regni istius limites non egrediar? habeo quod prætendam. ad calcem decurrit oratio, latiorq; Prouincia est, quàm Eloquentiæ campus. non abibo nisi vno extra Poloniam pede: stabo in limine altero. Ita Te Honori Pontificio gratulari debebam, vt totius Ecclesiæ Catholicæ meminisse viderer. Magnum est, quod vineæ isti commodare potes. alibi non sepes tantùm, sed ipsæ vites detrimentum patiuntur; alibi comedunt alieni botros; exsugunt

ipsam

ipſam medullam, ſingulares feri depaſcuntur! aderis Hercules noſter & monſtra hæc cùm ſuſtuleris, maius ſpolium, quàm ille ex Arcadico ſue iactabis. Hoc equidem Eccleſiæ Poſnanienſi, hoc iſti Regno ſatìs: Tibi, Eccleſiæ toti, parum omnino. Maiora Te & manent & decent certamina: non Septentrione tantùm frigido, ſed vbi maximus vel ſolis vel fidei æſtus eſt, ſpectatam virtutem Tuam & ſcientiam faceres, in Te vno, totam Poloniam. Intelligo iam quis ſenſus omnium, quod iudicium de Te prudentiſſimorum eſſet: ſicubi totius Fidei, Eccleſiæ Catholicæ vniuerſæ, comitia haberentur. eſſes ſine dubio Tuo merito, omnium voluntate Hoſius, columen non Poloniæ tantùm, ſed Fidei, ſed orbis. Haberet in Te ſuum momentum in ſtatera iam poſita Sanctiſſimæ GENITRICIS IMMACVLATA CONCEPTIO, & Gratiæ Auxilia, à Te efficax omnino auxilium. Auguſtinus hic eſſes, ibi Doctor SVBTILIS. Ne quæſo lædi putes modeſtiã Tuam, dum ſeruio veritati, illud me dicere exiſtimo, quod cuiuis, cùm Te maximè pudet, confirmas; cùm dici non vis, meruiſti vt diceretur. ſcio multos, Italiæ Cathedram Pontificiam vnam è tot, optâſſe Tibi, ſuaſiſſe; excuſabas alienam Prouinciam Tuâ ſpartâ: ab illo Religionis triumphantis otio, ad belli negotia cùm Hæreticis ſpirabas, ne quis exiſtimaret, non arma in arce Religionis quæſita eſſe, ſed ſtipendia; præmia, non merita. Solent alieno ſolo & ſole, quædam plantæ vberiùs creſcere, pleniorque eſt culmus Cereris, dum ibi ſeritur, vbi natum ador non fuerat. Cæterùm animi etſi floreant apud exteros elegantiùs, vberiores domi fructus ferũt. Si Te nunc in Romano ſolo an cælo? id authoritatis Principem videremus; gratulari vel Tibi vel Italiæ non poſſemus: quidquid in animo inueniremus, amitteretur in ſuſpirijs: Tibi gratulari Honorem, niſi ſimul & exilium, non poſſemus: pro Italia quidquid diceretur, contra Poloniam, contra Patriam eſſet. Ibi nihil præter admirationem habuiſſes; inter nos etſi admiranda facies, gratiarum actionem habebis faciliùs hic Sapientiam & Fidem Romanam exercere potes, quàm ibi Polonam ſinceritatem. Nimis barbarè ſentiebant de nobis, quotquot iſtam Tuam vrbanitatem, cùm Ethica Polonorum conuenire poſſe deſperauerant. idem enim eſt exerceri ibi virtutem, vbi nata eſt. Etſi magna in Polonos beneficia Italiæ, Galliæ, Germaniæ, erant; cùm ab illis Pontifices haberemus, noluiſſemus tot gratias Te donato rependere, maluimus libenter illis debere, quàm reddere. Etiamnè ſatìs Honori gratulatus ſum? Credo ideo ſatìs, quia non bene. facio illi abiturus reuerẽtiam, agnoſco temeritatem, vt ignoſcat; accuſo vt abſoluat. quid enim cùm Tuum emendare ſit omnes, ego afferre debeam, niſi errores? adeò etiam diſplicere ſapientiſſimis veniabile eſt, vel profectu

noſtro

nostro, vel laudis illorum materiâ. scio tamen Te, cùm maximè merebor, parcissimè censurâ vsurum. hac etiam modestia Laudes Tuas, meum laborem indues, vt optimè facta non bene scripta esse patiaris. Males hic legere fructus innocentissimæ Tuæ Virtutis, quàm flores Eloquentiæ alienæ. Quin apud alios etiam patrocinaberis, talem Panegyristam Tuum fuisse, qui maluerit videri Liuius, quàm Plinius; nec à Te sperabat veniam, si quid ex communibus Eloquentiæ præceptis, ad singularia Virtutum Tuarum exempla deferret.

Iam ILLVSTRISSIME & REVERENDISSIME PRINCEPS, ILLVSTRISSIMO SANGVINI TVO, VIRTVTI, SCIENTIÆ, HONORI, extremùm nos omnes mancipamus, pridem Tui. Erit fortasse, qui amicitiâ Tuâ dignior meritò videatur, sed promptiores seruos nobis non facilè patiemur. Eris idem testis laborum nostrorum, qui imperaueris. Minima hæc, TVA tamen SOCIETAS, tantum quietis ab obsequijs sibi vendicabit, quantum satis est vt imperia excipiat. Vnus labor gradus erit futuri. magis seruire assuescimus, cùm seruimus, & ille iam est à consuetudine laboris habitus, vt ex ipso habitu vitæ ad priuationem libentissimè transeamus. Dolemus locum TIBI, inter hæc rudera, & parietinas Templi nuper collapsi non futurum; ita factum optimè putamus esse, vt non alibi quàm in animis nostris hospitareris: ad hoc fato quodam à strage, & ruina, seruati sumus. Vetustas collapsa est, vt è cineribus illustrior Tuis auspicijs euaderet Ecclesia. Crescet impensius ædificium ex illo angulari lapide, Tuâ manu (vt optamus) in fundamentis deposito. Surgent celeriùs, quos Pontificio ritu consecres, parietes; perpetuum Maiori Poloniæ, isti Metropoli, nobis, Dignitatis & beneficij Tui monumentum.

A. M. D. G.